20

DE PERFECTIO NE IN GENERE

I 6




2 9


CONGREGAT

CR C L M V

ASSVMPTAE


V
B J
C





DE PERFECTIONE.

GEORGII TYSZKIEWICZ SOC: IESV, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petr: S. R. M. Typogr. Anno 1624.





Admodum Reuerendo Patri Nostro in Christo,

P. MVTIO VITELLESCO,

Præposito Generali Societatis IESV.

*Vod olim ardenter exoptabat S. Augustinus, Admodum Reuerende Pater, vt ingruente hæresi, omnes vbiq; locorum, quibus id ingenij vis, ac facultas permitteret, calamum stringerent, & tanquam noui Hercules, volitantes latè errores, veluti quasdam Stymphalides, certis confossas ictibus, submouerent, vt vel sic Apostolicæ religionis Sol, lucidâ veritatis telâ, & inoffensum iubar, longè lateq; per Ecclesiæ spatia diffundere posset; id mihi non minùs enixè in diuersa licet materiâ, expetendum videtur, vt nempe in hoc mundi senio, penè in ἀθείαν prolapso orbe, reperiantur quàm plurimi, qui corruptos decrepiti sæculi mores, & minùs fortè exactam religiosorum viuendi*

normam, ad priſtinum exemplar integritatis, ac perfectionis, Sanctißimorum virorum reuocare contendant; & face quaſi prælatâ, manuq; porrectâ, eos quos aut craſſus error, aut affectata quædam rerum ſpiritualium ignorãtia, agit deuios, in viam ſalutis, & Chriſtianæ ſanctitatis, tandem reuocare conentur: & hoc eò feruentiùs, quò validiùs in hanc caſtrorum Dei partem, hoſtiles inſurgunt cunei, vt prætoriâ concisâ cohorte, in reliquum vulgus, viles animas impunè pro libidine graſſentur. Quam tam exitialem à domo Dei cladem, vt ore, manu, calamo, pro viribus omnes auertant, cùm ius exigat, æquum poſtulet, Charitas religioſa requirat, volui, non ſolùm FF. meis, & PP. quibus id ex officij mihi commiſſi ratione quodammodo debebam, ſed & alijs, quos glorioſo hoc puluere conſpicuos idem campus exercet, ſi non vt Heptabæus anteire aliptes, ſaltem tuo beneficio, Admodum Rñde P. non omninò ignarus ductor, inter viæ periculoſæ diſcrimina, hoſtium paratas ſubſeſſas intellectus ad diuina cæcutientis tenebras, aliquâ ſaltem luce præire, & radiantibus SS. PP. doctrinis, tanquam fulgidis quibusdam plumis (quod aues in ſaltu Hircinio viatoribus præſtare legimus) ita omnibus, quos religioſa tenet ſolitudo, prælucere, vt

non

non difficulter, ad optatum perfectionis, ac vitæ insuper æternæ ſcopum, ſi modò culturæ (quod requirebat ille) patientem aurem accommodent, peruenire poſſent. Quâ in re nec temerarius videri debeo, ſi SS. vita veluti Helice mihi præeunte, & clariſſimis è Societate noſtrâ viris, (vt alios prætercam) Roſignolio, Aluarez, Ponte, Buſæo, Crombecio, Roderico, &c. quorum nomina, penè ſunt nomina ipſius perfectionis, tanquam luminibus mihi prælucentibus, hoc curriculum decurrere incæpi; nec audax, ſi poſt tot doctiſſimorum virorum non publici ſaporis lucubrationes, meâ hac qualicunq; opellâ, viam hanc complanare magis aggreſſus fui, cùm in arduis, qualis eſt doctrina de Perfectione, voluiſſe quoq; ſit laudabile, & conſtet eos qui me præceſſerunt, vel non de ſolâ tractâſſe perfectione, vel non de ea etiam, quæ ad noſtræ Profeſſionis Religioſos, ſingulari quadam ratione, ac ſpeciali modo pertineret (quod vtrũq; mihi propoſitum) vel aliunde aduocâſſe plurima, quæ ad eam conſequendam quoquomodo conducere videbantur, vel ita fusè egiſſe, vt nonniſi à ſedulo & moræ patiente, perlegi fructuosè poſſint. Accedit quod Deus Opt: Max: Religionem noſtram, errantium Ducem, & ſalutare quoddam fermen-

tum, quo peccati vitio corrupta condiatur massâ, post alios Illustrissimos ordines ac familias esse voluerit, & proinde eius filios (quibus hæc primò conscripta sunto) non tantùm practicè, sed & speculatiuè, cupiat esse perfectos. Quod igitur, vt non minùs auspicatè quàm facilè in viâ spiritus omnibus, quos in hoc curriculum, è mundi carcere Summus Prætor Christus emisit, eueniat, intento quasi digito, metam hanc, ad quam omnes contendere oportet, monstrâsse satis existimaui. Et quandoquidem non cum Protogene aliquo, aut Apelle, perfectionis lineamenta, viuis exprimere concessum fuit coloribus, rudi saltem gypso, mutâ in tabulâ eadem deformare, vndiq; contractâ manu, ne in latos disputationum campos exspatiaretur, sufficere sum arbitratus: quod ipsum vt meum fuit, sic tuum erit Admodum R. P. hunc meum qualemcunq; laborem, quem mihi, nescio an tuus erga me olim discipulum amor, an mea erga te præceptorem, Patrem, vniuersæ deniq; Societatis IESV Antesignanum, pietas & obseruantia expressit, non obscuram amoris mei erga te tesseram, vt soles spirituales opes beneuolè cõplecti, & partum, virtutum tuarum insignitum coloribus, qui viuum es & spirans religiosæ perfectionis simulachrum, vt auspicatè

lucem aſpiciat, tutum à maleuolentiæ Canicula, ſub protectionis tuæ ſypario tueri, vt ſic paternis quaſi in vlnis ſecurè ſoboleſcens, conceptæ vtilitatis ſpei, lauto prouentu reſpondeat. Quod vt fiat opto, voueo, Tu interim vale, & me merito tuo, affectu meo, totum Tibi deuotum habe.

Georg: Tyſzkievvicz.



MVTIVS VITELLESCVS
Soc: Iesu, Præpositus Generalis.

CVm opus, *De Perfectione*, à P. GEORGIO TYSZKIEVICIO, nostræ Societatis conscriptum, aliquot eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint; & in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 4. Febr: 1623.

Mutius Vitellescus.

Locus sigilli.





EGo SEBASTIANVS NVCERINVS, *S. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Cracouien: Concionator Ordinarius, Librorumq; in Diœcesi Cracouiensi Censor, viso A. R. P.* MVTII VITELLESCI, *Societatis* IESV *Generalis Præpositi testimonio, quod Liber ab A. R. P.* GEORGIO TYSZKIEVICIO *Societatis* IESV, *S. Theologiæ Doctore, & in Regno Poloniæ Prouinciali, conscriptus, cui titulus est:* De Perfectione, *à Theologis eiusdem Societatis sit recognitus: & non solùm fidei ac bonis moribus non repugnans, sed etiam vtilitati Ecclesiæ Catholicæ plurimùm commodus est inuentus: vt imprimatur, potestatem facio. Crac: 2. Ianuarij, 1624.*



Index Capitum, quæ hoc opere continentur.

XVII.

ram ha-

ram habere, vt nostri qui sub ipsius regimine sunt, quærant Perfectionem, & proficiant, 399

Index locorum S. Scripturæ, quæ in hoc opere explicantur.

Index rerum, & verborum notabilium huius operis.

A

Quid

D

E

L

M

N


O

Q

R

S





DE PERFECTIONE.

1. HAnc, inter alias non paucas, primo loco, & tanquam præcipuam, Ordinationes Societatis nostræ, assignant Instructori materiam Exhortationum, ad Patres, qui tertium annum Probationis peragunt.

2. Scribunt de hac materia multi Doctores, Sancti Patres, & alij spirituales Magistri. Clariùs verò, distinctiùs, & copiosiùs, D. Thomas Opusc: de Perfectione. D. Bonauentura tom: 1. maximè lib: 1. Pharetræ, c. 35. & in lib: Apol: paup: art: 2. & tom: 2. lib: de proces: relig: c. 15. B. Laurentius Iustinianus in tract: de Perfect. Cassianus in Collationib: videndus tit: Perfectio. S. Diadochus in lib: de Perfectione. Iacobus Aluarez toto tom: 1. de Vita spirituali. & tom: 2. verbo Perfecti, & Perfectio. Busæus in Viridario, verbo Perfectio. Crombecius in libris, de Studio perfect: maximè 1. à cap: 30. Rosignolius in lib: de Disciplina Christianæ perfect: à cap: 1. maximè lib: 5. videndus, titulo Perfectio. Ludouicus de Ponte in lib: de Christiana perfect: maximè tom: 3. tract: 1. c. 2. & tract: 7. c. 3. vsq; ad 5. Deniq; Alphonsus Ro-

driquez in Exercitio Perfectionis.

3. Multa quæri possunt de Perfectione; potissimùm autem hæc. 1. De quali Perfectione nobis est quæstio, est enim multiplex. 2. Quæ proprietates huius perfectionis. 3. Quibus tradenda doctrina de hac Perfectione. 4. Quid erit ista Perfectio, quæ præsentis est tractationis, & an vna essentialiter, vel multiplex. 5. Quis author ipsius. 6. Quod exemplar. 7. Quæ nos excitare debent ad quærendam perfectionem. 8. Quæ impediunt consecutionem illius. 9. Quæ media seu instrumenta acquirendæ Perfectionis, & quæ priùs adhibenda. 10. An possibilis hominibus in hac vita Perfectio. 11. An necessaria ad salutem, & quibus. 12. Quod præmium Perfectionis in hac, & in altera vita, & quis finis. 13. Quæ pœna in hac, & in altera vita, eorum qui cùm deberent attendere Perfectioni, id non fecerunt. 14. An pauci vel multi perfecti; & quædam alia: de quibus omnibus singillatim nobis agendum est deinceps.



CAPVT I.

De varijs acceptionibus Perfectionis.

NOn vna eſt, ſed multiplex, ac varia acceptio Perfectionis, nec vnam rē ſignificat. Primò enim accipitur illa pro peculiari quadā paſſione entis, ſiue increati, ſiue creati, ſiue ſubſtantialis entis, ſiue accidentalis, quæ paſſio idē eſt quod bonitas naturalis, vel integritas entis; & hæc perfectio tam multiplex eſt, quàm multiplicia ſunt ipſa entia. Solet autem dici à Philoſophis, & à Theologis, perfectio rei in eſſe naturæ, ſeu perfectio eſſentialis vniuſcuiuſque rei, quia conuenit rei, non ſecundum aliquid quod ei accidat, ſed ſecundum naturam vel eſſentiam, & talis perfectio hominis, v.g. eſt eſſe illum animal rationale; hoc enim facit, vt ei nihil deſit, vt verus homo ſit, & veram naturā humanam habeat: & perfectio Angeli quod ſit omninò ſpiritus, creatus, intellectu & libero arbitrio pollens: & perfectio virtutis quod ſit affectio, non tranſiens ſed manens, & eum in quo eſt, ad optimum actum diſponens. Poteſt autem perfectio eſſentialis eſſe alteri rei accidentalis; perfectio enim virtutis, eſt etiam perfectio hominis, ſed accidentalis.

Secundò accipitur perfectio pro beatitudine ſupernaturali, quam in altera vita expectamus, quæ eſſentialiter conſiſtit in clara & intui-

tiua Dei visione, completè autem quoad omnē integritatem suam, etiam in Charitate Theologica Dei super omnia, vt docēt Theologi 1.2.q.3. Accipi autem hoc pacto perfectionem, & futuram beatitudinem patriæ, esse, ac proinde vocari posse, perfectionem, siue Angeli, siue hominis, docent clarissimè sancti Patres. D. Ambrosius lib: 3. Offic: c. 3. *Duplex est*, inquit, *forma perfectionis, alia medios, alia plenos numeros habens; alia hîc, id est in hac vita, alia ibi, id est in altera, alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram.* Et D. August: lib: 3. contra 2. ep: Pelagianorum, c. 7. *Iustitia secundum quam iustus ex fide viuit, quoniam per spiritum gratiæ, homini ex Deo est, vera iustitia est: quæ licet non immeritò in aliquibus iustis, pro huius vitæ capacitate, perfectio dicitur; parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum.* Deniq; D. Hieron: *lib: 1. ep: 2. aduersus Pelagianos, c. 5.* ex quo perspicuum est, duas in Scripturis Sacris esse perfectiones, duasque iustitias, & duos timores: primam perfectionem, & incōparabilem veritatem, perfectamq; iustitiam, Dei virtutibus coaptandam; secundam autem, quæ competit nostræ fragilitati, iuxta illud quod in Psal: 142. dicitur: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*; ad eam iustitiam, quæ non comparatione, sed Dei scientiâ, dicitur esse perfecta. Sed & Apostolus Paulus, visionem Dei in altera vita, & quod idem est, beatitudinem supernaturalem futuram, vocat

perfe-

perfectionem hominis, 1. Cor: 13. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit, quod perfectum est*, id est, visio Dei, quæ hominem perfectum facit, *euacuabitur quod ex parte est*. Et ad Philip: 3. *Non*, inquit, *quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam*. Negat se hic Apostolus perfectum esse, & imperfectum vocat, non aliam ob causam, quia nondum ad perfectionem beatorum, id est ad beatitudinem supernaturalem futuram in altera vita, peruenerat: quod patet, quia in hoc ipso capite, paulò infra, annumerat se idem Apostolus perfectis: *Quicunq; perfecti sumus, hoc sentiamus*. Si perfectus est S. Paulus, quomodo se imperfectum vocat, & perfectum esse negat; si verò imperfectus est, quomodo se perfectis annumerat? Certè S. Paulus & imperfectus erat, quia nondum ad perfectionem beatorum, id est, ad beatitudinem futuram in altera vita, peruenerat: & simul erat perfectus, quia huius vitæ sublimissimam perfectionem, & perfectissimam sanctitatem acceperat. Et ita hunc, ad Philip: locum pertractantes, interpretantur, D. Ambros: D. Aug: & D. Hieron: locis citatis, & D. Anselmus super eundem. *De duabus*, inquit, *perfectionibus loquitur Apostolus, ostendens omnem hominem, & vniuersam creaturam, quamuis ad perfectionem venerit, indigere tamen misericordia Dei, & plenam perfectionem ex gratia, non ex merito possidere: & ideo perfectus erat Apostolus, iuxta modum hu-*

manæ poßibilitatis, sed adhuc perfectionem expectabat, ex dono supernæ largitatis, vt æqualis fieret Angelis: erat perfectus viator, sed nondum perfectus patriæ possessor. Hæc ille. Deniq; ratio etiam ostendit beatitudinem supernaturalem futuram in altera vita, esse, & posse meritò vocari perfectionē nostram: id enim quod rem aliquam in bono & debito statu constituit, perfectio est, hæc enim est definitio illius: talis autem est beatitudo prædicta respectu hominis & Angeli; erit igitur perfectio illorum.

Tertiò accipitur perfectio pro gratia sanctificante, aut iustificante, seu pro gratia habituali, quâ iustus homo spiritualiter viuit, & peccatis mortuus, iustitiæ, id est virtutibus, & Deo viuentem se exhibet. Acceptionem hanc perfectionis, vidimus iam apud D. August: paulò ante. Hanc quoq; ob causam vas electionis S. Paulus, vocat fideles Sanctos, id est perfectos; idem enim hæc duo sunt, Sanctitas, & Perfectio: *Omnibus*, inquit, *qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis*, Rom: 1. & *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo* IESV, *vocatis Sanctis*, 1. Cor: 1. & *Omnibus Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo* IESV, Eph: 1. sicq; in alijs Epistolis. Certè gratiam sanctificantem constituere hominem in bono & debito statu, nemo negare potest, ac proinde, nec ire inficias, eam esse perfectionem hominis. Et hæc gratia solet vocari perfectio, non simpliciter & absolutè,

nec maxime proprie, vt præcedens, sed secundùm quid, comparatione scilicet antecedentis.

Quartò accipitur perfectio pro virtute morali, vnde tot erunt huiusmodi perfectiones, quot virtutes morales. Nam non solùm Sanctorum Patrum scripta, sed & ipsæ diuinæ literæ, perfectionis nomen, varijs attribuunt virtutibus: ac primò dilectioni Dei & proximi, maximè autem inimicorum. Nam Christus Dominus, cùm docuisset diligendos esse inimicos, & pro ijsdem orandum, mox subiecit: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; Matth: 5. quasi dicat, perfectionem & non qualemcunque, sed eam quæ & in Deo reperitur, consistere in dilectione inimicorum. 2. Paupertati Euangelicæ, nã diuiti iuueni dixit Christus: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus*; Matth: 19. Deniq; Patientiæ; ad hoc enim respexisse videtur S. Iacobus, cùm ait, c. 3. *Patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Et D. Greg: lib: 5. Moral: c. 13. *Ille verò perfectus est, qui erga imperfectionem proximi, impatiens non est.*

Quintò accipitur à S. Scriptura, & à Sanctis Patribus, perfectio, pro rebus quibusdam spectantibus ad virtutem moralem. Sic D. Gregor: in Moral: accepit perfectionem pro cognitione suiipsius, seu imperfectionis suæ: *Magna est*, inquit, *perfectio, suæ imperfectionis cognitio.* Et S. Hieron: in ep: ad Ctesiph: *Hæc hominibus sola*

perfectio, si imperfectos se esse nouerint. Cognitio autem sui, est actus intellectus, ac proinde non virtus moralis; quia tamen à virtute morali, potest quis moueri ad cognitionem suiipsius, & in ordine ad virtutem id facere; deinde quia hæc res est valde vtilis ad mores, & sapientia maxima, vt ait S. Maximus, ideò dicitur perfectio, & magna perfectio. Idem D. Gregor: accepit perfectionem pro compassione: *Tantò quisq; perfectus est,* inquit ille, *quantò perfectè sentit alienos dolores.* Talis erat Apostolus, qui dicebat, 2. Cor: 11. *Quis infirmatur?* &c. D. quoque Bernar: ep: 24. accepit perfectionē pro desiderio perfectionis, & studio seu conatu proficiendi: *Nemo perfectus,* inquit, *qui perfectior esse non appetit.* &, Proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. &, Studere perfectioni, est esse perfectum. S. etiam Apostolus Paulus, 1. Cor: 2. & Hebr: 5. solidam institutionem in doctrina & vita Christiana, perfectionem vocat: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* &, *Perfectorum solidus est cibus, eorum qui pro consuetudine habent exercitatos sensus, ad discretionem boni & mali.* Idem, tribuit nomen perfectionis, consensioni fidei, per quam scilicet idem sentimus in fide, seu eandem habemus fidem & profitemur: *Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri* IESV *Christi, vt idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia,* 1. Cor: 1. Et id commendat quoq;

nobis

nobis Regula nostra ex Summario 42. *Idem sapiamus, idem quoad eius fieri potest dicamus, iuxta Apostolum.* Deniq; ne singula enumerem, S. Iacobus c. 3. perfectionis nomen tribuit linguæ domitæ. *Si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir*: linguam enim domare difficilè est, sed tamen omninò necessarium.

Sextò & vltimò, accipitur perfectio pro beatitudine supernaturali perfecta, huius vitæ, seu viæ. Ita passim Sancti Patres, & Magistri spirituales, vt videbimus cap: 3. Et hanc intelligunt quoq; Sancti Patres, citati à nobis in secunda acceptione Perfectionis.

CAPVT II.

Qualis Perfectio est nostræ tractationis argumentum.

SEx acceptiones Perfectionis attulimus capite præcedenti, ex quibus vel nulla est, vel saltem non per se, præter vltimam nostræ tractationis argumētum: quod ostendo hac ratiocinatione; quia nullam ex his perfectionibus, vel saltem non per se, præter vltimam intelligit illa Ordinatio, quæ perfectionem, tanquam materiam Exhortationū, & Conferentiarum, ad Patres tertij anni, assignat instructori. Clarè enim explicat titulo 3. §. 2. & 4. eam esse perfectionem (verba illius sunt) *Per quam homo in vita spirituali perfectus est, & quæ in hac vita acqui-*

ritur, per plenam & absolutam sui abnegationem, ac per exercitium virtutum, dignarum homine religioso; deniq; ad quam initio vocauit nos Deus, cùm ad Religionem vocauit, vt eam in hac vita, maximè verò in probationibus tertij anni, acquiramus: quæ omnia nulli alteri perfectioni ex enumeratis, præter vltimæ conueniunt. Non primæ, vt per se clarum est, per hanc enim homo non est in vita spirituali perfectus, imò imperfectus, atq; adeò perfectio hoc modo accepta, nullo modo nostræ tractationis est argumentum. Sed nec secundæ perfectioni; quia hæc non acquiritur in hac vita, sed in altera, nec ad hanc nos propriè initio Deus vocauit, cùm ad religionem vocauit. Non etiam tertiæ, quartæ & quintæ, tum propter alterum membrum rationis iam positæ, tum quia nulla harum perfectionum ad sui consecutionē requirit plenam & absolutam in homine sui abnegationem, & exercitium virtutum dignarum homine religioso, vt cuiq; euidens est. Sola autem perfectio vltimo modo accepta, & acquiritur in hac vita, & acquisita, constituit hominem perfectum in vita spirituali, & ad sui acquisitionem plenam & absolutam abnegationem, exercitiumq; virtutum religioso dignarum requirit; & deniq; ipsa est ad quam nos Deus initio vocauit, cùm ad deserendum mundum, & sibi soli in religione seruiendum attraxit: quæ omnia clariora erunt ex sequentibus.

Dixi, nullam ex perfectionibus enumera-

tis præ-

tis, præter vltimam eſſe per ſe argumentum noſtræ tractationis, vt indicarem non eſſe negandum, aliquas ex his perfectionibus, ſecundam videlicet, tertiam, quartam, & quintam, ſecundùm quid pertinere ad noſtrum inſtitutum. Et ratio eſt, cùm enim beatitudo ſupernaturalis, futura in altera vita, ſit finis ac præmium perfectionis vltimo modo acceptæ, quæ per ſe traditur, & gratia habitualis, initium ac fundamẽtum illius; virtutes deniq; morales, cùm rebus ad illas ſpectantibus, ſint via ac media ad aſſecutionem eiuſdem, vt patebit ex ſequentibus; neceſſariò hæc omnia in ordine ad ipſam perfectionem, ſexto ac vltimo modo acceptam, non per ſe quidem, ſed ſecundùm quid tractanda ſunt, vt plena tandem & abſoluta doctrina, de propoſita perfectione tradi poſſit.

CAPVT III.

De varijs proprietatibus, appellationibus, & titulis perfectionis, quæ noſtræ tractationis eſt argumentum.

VT meliùs & clariùs perfectionis tractandæ eſſentiam ac naturam inueſtigemus, placet in medium adducere, proprietates, appellationes, & titulos, quibus à Sanctis Patribus ac Magiſtris ſpiritualibus, hæc ipſa perfectio exornatur, & explicatur. Primò igitur vocatur ſanctitas abſoluta & perfecta. Sic eam appel

latam

latam eſſe ab Apoſtolo, ad Rom: 6. quidam doctiſſimi viri exiſtimant, cùm dicit, Chriſtianos liberatos à peccato, factos autẽ ſeruos Deo, habere *fructum ſuum in ſanctificationem*, id eſt in ſanctitatem; *finem verò vitam æternam*; perfectionis enim proprius finis eſt vita æterna. Et certè ſi gratia habitualis, teſte Sacra Scriptura, vt vidimus, ſanctitas eſt hominis, non immeritò, imò potiori iure, hæc perfectio noſtra, erit ſanctitas hominis, quandoquidem natura & magnitudine ipſam antecellit. Poteſt enim habere, & ſæpè habet ſanctitas, quæ eſt gratia habitualis, admixtam aliquam imperfectionem voluntariam, & quod idem eſt maculam; hæc verò noſtra perfectio, prout in hac vita haberi poteſt, propriè ab omni imperfectione libera eſt, & proinde ſimpliciter, ac perfecta ſanctitas; atteſtante D. Dionyſio de Diuinis Nomin: cap: 12. qui *omni ſcelere liberam, perfectam, & penitus incoinquinatam munditiam*, eam eſſe aſſeuerat.

Secundò, vocatur illa perfectio maximè, propriè, ſimpliciter, abſolutè, & per ſe, quia hæc ſola non eſt in vno genere tantùm perfectio, ſed ſimpliciter, & omnem quantum fieri poteſt animi in hac vita imperfectionem excludit; propter hanc tantùm, quiuis hominum vocari poteſt plenè perfectus in oculis Dei: deniq; hæc ſola ad nullam aliam perfectionem, in hac vita conſequendam, ordinatur. Vt non immeritò quidam eam DEVM intellexiſſe exiſtimãt,

cùm di-

cùm dixit Abrahamo, Genes: 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Non dixit, esto perfectus in hac vel in illa re, sed absolutè esto perfectus, insinuans non obscurè in omnibus rebus, media scilicet hac nostrâ perfectione, omnes complectẽte, absolutum & consummatũ esse oportere.

Tertiò, appellatur mons altissimus, tum propter sublimitatem & fastigium huius spiritualis perfectionis; tum etiam, quia mens nostra quasi per gradus & ascensus ad hanc perfectionem procedit: præterea, quia vi huius perfectionis homo remotissimus est ab omni strepitu mundi & passionum; & quantum in hac vita possibile vicinior iuxta ac similior Deo existit. Quàm verò altus sit hic mons, inde patet, quod creata hæc perfectio solum Deum altiorem se habeat, atq; respiciat.

Quartò, appellatur vita, & sanitas spiritualis perfecta hominis in hac vita; per hanc enim iustus spiritualiter viuit, & non vtcunque, vt per gratiam habitualem, nam hæc perfectio omnia aduersa iustitiæ, efficaciter arcet à iusto, efficitq; vt vniuersa iustitiæ opera feruẽtissimè exerceat (hoc autem est esse vitam) atq; ita, vt vitam illam cælestem ac perfectionem, qua beati toto corde, tota mente & anima, Deo copulantur secundùm huius vitæ possibilitatem æmuletur, vnde & vocatur, quæ est Quinta appellatio, æmulatrix vitę cælestis beatorũ futurę.

Sextò appellatur eadem, virtus perfectissima,

ſima, quæ omnia mala moralia pellit, & omnia bona complectitur. Et meritò, id enim abſolutæ perfectioni competere omninò debet.

Septimò, Perfectio hæc animæ quidam decor eſt, ac maieſtas, qua viri perfecti, qui fuerunt, ſunt, & poſtea erunt, in Eccleſia Dei, in arctiſſimam Chriſti amicitiam euecti ſunt, & etiamnum euehuntur; ab ijs ſegregati, qui vel peccatorum graui gemunt ſub onere, vel affectuum inordinatorum preſſi imperio, miſeram ſeruitutem ſeruiunt. Hæc magnos effecit Apoſtolos, ſublimauit martyres, Pontifices & Doctores mirabiles reddidit, Confeſſores & Virgines in magnam dignitatem extulit. Hæc à ſtatu Epiſcoporum præſupponitur, qui teſte Apoſtolo, 1. Tim: 3. debent *irreprehenſibiles eſſe*; & á Religioſorum cœtibus inquiritur.

Octauò, dicitur à quibuſdam perfectio hæc, culmen ſeu tectum, totius fabricæ ſpiritualis, ſeu domus, quæ Regi ſæculorum ædificatur in hac vita, ſeu templi ſancti, quod ſumus nos, teſte Apoſtolo, *1. Cor*: 3. in quo Chriſtus in ſpiritu colitur: cuius ædificij parietes ſunt, circumſpectio in cogitationibus, deſiderijs, verbis, & operibus externis: Columnæ ſtabilitas in bonis propoſitis, in non offendendo Deum, neque mortaliter, neq; venialiter, & in alijs bonis propoſitis, deniq; in vocatione ad Religionem in ijs qui ad eam vocati ſunt. Atria huius domus, ſunt mortificatio interior & exterior: Cubicu-

la tan-

la tandem, Virtutes & quies mentis.

Nonò, dicunt aliqui perfectionem hanc esse Thesaurum illum preciosum, de quo Christus Dominus, Matt: 19. *quem qui inuenit, vadit, & vendit omnia quæ habet*; vt scilicet illo potiatur. Vt enim perfectio acquiratur, sæculũ relinquitur.

Decimò, vocatur hæc perfectio à Diuo Thoma 2. 2. q. 184. ar: 3. *Substantialis & completa perfectio vitæ Christianæ*; nimirum vt indicet alias perfectiones esse accidentales vitæ Christianæ, & incompletas.

Vndecimò, assimilatur ab aliquibus perfectio hæc igni splendenti & ardenti, qui vt appositam materiam in se conuertat, frigus & obscuritatem ex ea pellere debet. Perfectio enim hæc vt in animam nostram introducatur, & eã imbuat, ac perfectam faciat, vt sapientiæ luce illustret, ac deniq; charitatis ardore impleat, obscuritatem peccati necesse est priùs ex ea pellat, & frigus vitiorum destruat. Cuius rationem videbimus infra, cùm de cauendis peccatis mortalibus, imò & venialibus, & de vitijs extirpandis, ac deniq; passionibus mortificandis, agemus.

Duodecimò & vltimò, dicitur ab omnibus hæc perfectio, finis noster vltimus in hac vita; finis videlicet, cuius gratia operamur, & terminus omnium nostrarum actionum, maximè earum, quæ ab hominibus Religiosis fiunt, in quem scilicet omnes cogitationes nostræ, omnia desideria, & omnes conatus mentis & cor-

poris ordinari possunt, & debeant. Quare enim Religiosus sæculum relinquit, nisi vt perfectus euadat? quod indicauit Christus Dominus, cùm dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me*; Matth: 19. Quare idem Religiosus in paupertate Deo seruit? quare carnem suam castigat? sensus & passiones mortificat? nisi vt perfectionem acquirat? Et quia hæc vltimus finis est in hac vita nostrarum actionum, (siquidem ad nullum alium finem in hac vita consequendum ordinatur, sed ad illam diriguntur cætera) ideò est beatitudo spiritualis ac supernaturalis perfecta, viæ seu hominis in hac vita; cùm eum quatenus huius exilij conditio patitur in via, sicut clara Dei visio in patria, quæ eius est beatitudo, & perfectio supernaturalis, beatum formaliter efficiat. Vt proinde non immeritò, tot ac talia in Religionibus à peritissimis asceticæ disciplinæ Magistris, excogitata sint media, (inter quæ tertium in Societate nostra probationis annum, tam copiosa non semel messe nobilitatum, iure censeo) quibus eorum discipuli ac Tyrones, ad tam nobilem vitæ spiritualis statum ascendere possint.

CAPVT IV.

Necessaria est omninò cognitio perfectionis huius, & primò quàm aliarum rerum.

INter alia quæ competunt huic nostræ perfectioni, vnum & quidem potissimum, vt vi-

dimus Capite præcedenti, est, illam esse finem & scopum omnium nostrarum actionum, in quem scilicet omnes cogitationes nostræ, omnia desideria, & omnes mentis conatus, ordinandi sunt & referendi. Ex quo licet manifestè colligatur, ipsam ante omnia virtutis studia inuestigandam, ac sollicitâ quadam diligentiâ contemplandam esse omnibus, maximè Religiosis, qui ad hoc spiritualis vitæ fastigium, mũdo, benignâ Dei dexterâ extracti, tendere obligantur, vt infra videbimus; tamen peculiari ratione id ijs præstandum, quibus tempus quoque peculiare ab alijs omnibus occupationibus liberum ad huic perfectioni studiosiùs attendendũ Religio (vt apud nos tertiæ probationis Patribus) concessit. *Finis* namq; (vt summus Philosophus non minùs breuiter, quàm veraciter 3. Ethic: cap: 3. ait) *in consultationem non cadit*; sed eo in principio cuiusq; operis cognito & intento, de his quæ ad finem consequendum conferunt, deliberamus, & consultationem efficimus. Atq; adeò finis, qui assecutione posterior est; cognitione & intentione mentis, semper est prior, primo scilicet loco perspiciendus, & ante omnia quæ ad eum consequendum vtilia sunt, profundâ mentis attentione considerandus. Quemadmodum enim qui itineri aut nauigationi seipsos dare constituunt, prius sciant necesse est, quo tendant, & in quem locum aut vrbem proficiscantur, ne incognito fine iter terrâ ma-

riué capessentes, vnde requiem & securitatem expectabant, inde decumanis periculis & insanis laboribus obruantur: Ita qui vitæ Religiosæ stadium Deo honorificè, sibi vtiliter, decurrere decreuit, materiæ huius scopum, perfectionem scilicet, ipso vt in limine cognoscat, est necessarium, ne post multos & graues exantlatos labores, nudum se pauperem, & cælestibus perfectionis diuitijs, vacuũ ac destitutũ deprehẽdat.

Hoc quod diximus, vt existimo, indicare voluit sapientissimus rerum spiritualium Magister, Ioannes Cassianus, *Collat: 1. cap: 4.* cùm, spiritualia colloquia Patrum, exorsus est à Monachi destinatione & fine; eò quòd sicut ipso ignorato necesse est hominem Religiosum, per multa inutiliter diuagari; sic quoq; sit necessarium, in bene præuisum, tam actus, quàm cogitationes, dirigere. Cùm finis sit qui cognitione præuisus, moueat vnumquemq; ad agendum, instiget ad operandum, & ex eo, tanquam ex generali principio, colligatur quid facto opus sit, quid verò fugere, ac declinare oporteat.

Accedit & illud, quòd finis cuius gratia, & bonum seu optimum, idem sunt, vt dixit Philosophus in Physicis, bonitas autem, nisi priùs à creatura intellectuali cognoscatur, non amatur: nihil enim volitum, iuxta Philosophos, nisi cognitum, quò magis autem alicuius rei bonitas cognoscitur, & quò etiam ipsa maior est in se, eò magis ad se animos nostros trahit, mouet,

& alli-

& allicit. Vt ergo in hunc finem vitæ nostræ ſpiritualis & Religioſæ, hoc eſt perfectionem, cuius bonitas maxima eſt, vt vidimus, tendamus, & eam appetamus & amemus, neceſſe eſt vt priùs eam cogitatione apprehendamus & cognoſcamus. Priùs igitur huius perfectionis cognitio habenda eſt: quam vtinam illi ſectati fuiſſent, qui ſine notitia itinera virtutum arripuerunt, nunquam in tot Syrtes ac breuia delati, infinitis penè erroribus ſeſe implicuiſſent.

Verùm non ſufficit nobis quæcunq; cognitio perfectionis, ſi eam veraciter cupimus aſſequi, ſed integra, ſed frequens, ſeu continua, neceſſaria eſt; talis enim, ſolummodò inſpicientium eam, efficaciter mentes ac voluntates mouet, capit, ac ineſcat, & ita capit & ineſcat, vt cũ ingenti deſiderio ac cupiditate dicant, illud Sap: 7. *Præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem precioſum; quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* Perfectio enim hæc, vt nos dirigat, & de rebus agendis aut cauendis edoceat, eſt neceſſarium.

Concludo, ei qui vult veraciter & efficaciter perfectionem hanc conſequi, tria primò inter alia neceſſaria eſſe: vt eam videlicet modo explicato cognoſcat, & tanti faciat, & æſti-

met, quanti faciẽdam & æstimandam diximus, & deniq; efficax desiderium illius excitet in se, de quo in sequentibus. Videmus enim tanto labore suscepto & adhibito, niti nos ad acquisitionem alicuius rei, quanto eam æquè æstimatam amore prosequimur: æstimatio vero tanta perfectionis, sicut & alterius cuiuscunq; rei, & efficax desideriũ acquirendæ illius, haberi nõ possunt, nisi adsit perspicua ac plena eiusdẽ notitia.

CAPVT V.

Non consistit essentialiter hæc perfectio in carentia omnis prorsus maculæ, quæ etiam ex leuissima culpa oritur.

QVidam è vulgo imperiti, apud seipsos prudentes, opinati sunt, & fortassis modò etiam aliqui opinantur, perfectionem in tali carentia consistere; quorum sententia, siue potiùs error, & longissimè abest à veritate, & perniciosus est, cùm ex eo sequatur, nulli hominum esse possibilem perfectionem in hac vita, quod falsum per se esse, licet sit indubitatum, à nobis tamen infra clariùs confutabitur. Si enim impossibilis esset perfectio, superuacaneus etiam esset omnis hominum conatus ad eam tendendi, quippe quæ nullo modo haberi possit.

Docet disertè Sacra Scriptura, & Ecclesia sancta, mater nostra, ac deniq; SS. Patrum authoritas, fuisse non paucos, sanctos & perfectos

viros in hoc mundo; cùm tamen eadem S. Scriptura, Ecclesia, & Sancti Patres testentur, neminem in hac vita etiam perfectum, sine alicuius culpæ contagione posse esse. Septies in die cadere iustum asserit Sapiens, *Prou: 24.* Sanctus verò Ioannes, primâ suâ Epistolâ, cap: 1. dicit de omnibus omninò hominibus, & de ipsis Apostolis, sic: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vbi notanda sunt illa verba: *Si dixerimus quoniam peccatũ non habemus*: non dicit enim sanctus Apostolus; si dixerimus quoniam peccatum non habuimus, ipsi nos seducimus, vt ostendat etiam in summa perfectione, non deesse peccatum. Imò & seipsum licet perfectus fuerit, & copiosum robur Spiritus sancti, quo confirmatus fuit in gratia, acceperit, nihilominùs non carere peccato attestatur. Deniq; S. Iacobus adhuc clariùs, cap: 3. *In multis*, ait, *offendimus omnes*; inter quos etiam seipsum numerat: loquitur verò (vt verba ipsa indicant, & annotauit D. August: *Serm: 122. de diuer: cap: 1.*) in præsenti, & de eo etiam quod futurum est, non tantùm de præterito, quasi quòd aliquando offenderimus, sed quòd modò etiam facilè offendamus, & offendere possumus. Ideo enim monet fideles, ne ambiant plures esse Magistri. Cuius rationem reddit: *Scientes quoniam maius iudicium sumitis*, idque ideo, quia in multis, inquit, offendimus omnes. Ecclesia verò satis hoc ipsum clarè definiuit,

cùm alias tum *Can*: 4. *Conc*: *Carthagin*: *contra Pelagium*; qui vt testatur S. Hieron: *lib*: 3. contra eundem, dicebat: Sanctos confiteri peccata humiliter, non veraciter; quod ille refutat ibidem. & *lib*: 2. contra eundẽ, vbi dicit: *Donec hoc mortale in immortalitatem mutetur, necesse est nos subiacere peccato, non naturæ & conditionis vitio, vt calumniatur Pelagius.* Aliorum SS. Patrum testimonia, infra vide.

Dices. S. Ambr: de natura & gratia, *c.* 34. & *seq*: expresse dicit, Zachariam & Elisabeth vixisse sine peccato. Respondeo, intelligendũ esse de grandi peccato. Nam idem alio loco ibidem ait: *Si minutiùs excutias, nemo sine peccato.*

Non proferam hîc exempla sanctissimorum & perfectissimorum virorum, quorum memoriam ritu solemni, ac maximâ veneratione, Ecclesia colit, quibus tamen aliqua leuia non deerant crimina; nec hîc hæc ipsa recensebo (quod facit S. August: lib: de natura & gratia, c. 39. vbi docet, omnes hos fuisse peccatores, etiam tunc cùm bene viuerent: exceptâ SS. Virg: Mariâ; de qua propter honorem Domini, nullam, inquit, prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem) tum ob reuerẽtiam ipsorum, tum quia nostrum est virtutes SS. imitari, non vitia, quæ tamen etsi in viris consummatæ probitatis reperiebantur, nihil de illorum sanctitatis opinione minuebant, aut etiamnum debent minuere. Primò quidem, quia

nihil in præſenti vita poteſt eſſe ex omni parte beatũ, ſed hoc pro ea, vt dicit S. Auguſt: *Ser: 43. de verb: Dom*: reſeruatur vita, quando *corruptibile hoc*, vt ait Apoſtolus 1. Cor: 15. *induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*; tũc enim verum eſſe illud comprobabitur: *Abſorpta eſt mors in victoria.* & vt idem ſubdit S. Auguſt: tunc triumphantes dicturi ſunt: *Vbi eſt mors contentio tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* modò autem quando *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, contentio mortis eſt: *Non enim quod volumus bonum facimus*; vt teſtatur Apoſtolus ad *Rom*: 7. Secundò, quia tot ſunt & tantæ Sanctorum virtutes, vt leues aliquas eorundem culpas facilè obtegant, & quodammodo obfuſcẽt. Quamdiu enim in hac vita ſunt, vt S. Gregor: lib: 31. Moral: c. 6. ait, *ſine quantulacunq; culpæ contagione eſſe non poſſunt*; *ſed cùm eis*, inquit, *parum quid ineſt, quod deprimit, multa virtus bonæ actionis ſuppetit, quæ illos in ſuprema ſuſtollit.*

Certè S. Auguſt: loquens de ſeipſo, etſi vir perfectus eſſet, ſic ſcribit lib: 10. Confeſ: cap: 31. *Ego in tentationibus poſitus, certo quotidie aduerſus concupiſcentiam edendi & bibendi. Et quis eſt Domine, qui non aliquando reficiatur extra metas neceſſitatis? Quisquis talis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum; ego autem talis non ſum, quia homo peccator ſum.* Idem (fortè Serm: 4. de Innocentibus) *Iteratur quotidie hæc oblatio*, id eſt, Miſſæ Sacrificiũ, *licet Chriſtus ſemel paſſus ſit, quia quotidie peccamus pec*

catus, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest. Et Tract: 41. in Ioan: *Ex parte enim libertas, ex parte seruitus in hac vita; nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, hoc est concupiscentiã, quæ rationem præueniens, inclinat nos ad malum. Ex parte accepimus libertatem, quidquid peccatum est à nobis antea, in baptismo deletum est. Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? si non remansisset, sine peccato hîc viueremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi misericordiâ liberatoris indignus, nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas non est?* Cùm autem quæreret ab eo Pelagius, quodnam esset peccatum Abel? Respondit, de natura & gratia, c. 38. *Si immoderatiùs risit, vel immoderatiùs poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit; vel cùm oraret, cogitauit aliquid, vnde eius in aliud reuocaretur intentio, & similia. An ista & similia peccata non sunt? &c.* In lib: verò 1. Retract: c. 7. hæc habet: *Cùm tota Ecclesia dicat quam diu hîc est; Dimitte nobis debita nostra; non vtiq; hîc est sine macula & ruga: ex eo tamen quod hîc accipit, ad illam gloriam quæ hîc non est, perfectionemq; perducitur.* Deniq; ep: 95. sic de omnibus iustis & perfectis loquitur: *Nullus in Ecclesia fidelium reperitur in quolibet profectu ea excellentiâ atq; iustitiâ, qui sibi audeat dicere nõ necessariam precationem Orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita; & dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, & veritas in eo non sit.* Cassianus præterea totâ ferè Collat: 23. ostendit sanctos

& perfe-

& perfectos viros, non esse in hac vita immunes ab aliquo crimine, & cap: 7. ibidem ita scribit: *Bonum ergo hoc summum* (id est Dei conspectu frui per contemplationem, & Christo iugiter inhærere) *vt perfectè Apostolus possit adipisci, dissolui optat à corpore, quod caducum, & multis fragilitatis suæ necessitatibus impeditum, non potest à Christi consortio non auelli. Impossibile enim menti, quæ tam crebris curis distenditur, tam molestiis, tam variis angoribus præpeditur, diuino semper frui intuitu. Quod enim tam pertinax Sanctorum studium, quod tam arduum potest esse propositum, cui non aliquando versutus ille insidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta sectatus, vniuersorum mortalium consortia declinauit, vt nunquam cogitationibus superfluis laberetur, & intuitu rerum, vel occupatione actuum terrenorum, ab illa quæ verè sola bona est, Dei contemplatione deciderit? Quis tantum spiritus vnquam potuit retinere feruorem, vt non interdum lubricis cogitationibus in ipsa quoq; orationis intentione translatus repentè de cælestibus ad terrena corruerit? Quis nostrûm, vt cætera peruagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento, quo Deo supplicans, ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus, etiam per id vel inuitus offendat, per quod sperabat veniam delictorum? Quis, inquam, tam exercitatus ac vigilans est, vt dum Psalmum Deo canit, nunquam à scripturæ sensu eius animus abducatur? Quis tam familiaris Deo, tamq; coniunctus, qui Apostolicum illud imperium* 1. ad Thess: 5. *quo sine intermissione orare nos præcipit, vel vno die gaudeat se executum? quæ om-*

nia licet nonnullis, qui sunt crassioribus vitijs inuoluti, leuia, atq; à peccato penè aliena videantur; scientibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo grauissima est. Hæc ille. Similia habet D. Greg: l. cit: c. 22. *Sancti*, inquit, *viri, quamuis intento mentis oculo, in supernis euigilent, quamuis cuncta quæ in ima præterfluunt, pede rigidi contemptus calcent; ex corruptione tamen terrenæ carnis, cui adhuc alligati sunt, plerumq; cogitationum puluerem in corde patiuntur: cumq; foris alijs ad appetenda cælestia persuadent, semetipsos semper intrinsecus subtili inquisitione discutiunt, ne qua immorante in se diu infimâ cogitatione polluantur.* Idem: Prouidens Dominus nobis dedit hoc Sceramentum salutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest, per istud Sacramentum peccatorum remissionem consequamur.

Vbi notandum primò est, Hæreticos præsertim modernos, Caluinistas maximè, solere abuti his testimonijs, tum S. Scripturæ, tum SS. Patrum, ad derogandum bonis operibus & meritis iustorum, quæ Ecclesia Catholica admittit. Inquiunt enim: Nullum bonum opus posse fieri à quocunq; homine, etiam sancto, quod non sit sordibus infectum, seu peccatum, & mera iniquitas, & non promereatur damnationem æternam: & iustum quemlibet semper peccare Sed huic damnatæ sentẽtiæ tantum abest, vt ex sacris paginis, & Patrum scriptis, allata adstipulentur testimonia, vt etiam aduersentur. Cùm

enim

enim iustus plusquam septies in die operetur, & nihilominùs septies tantùm cadere, idq; manẽdo in esse iusti, asseratur à Sapiente, *Prou: illo 24.* sequitur indicari ab eo, non quoduis opus hominis iusti, esse peccatum; multò magis non mortale, per quod perditur iustitia. Idem indicat S. Iacobus; dixisset enim proculdubiò, homines in omnibus, & non in multis tantùm offendere; sic enim multò efficacius probasset, id quod volebat. S. Aug: verò de gratia Christi, c. 49. asserit clarè, hæreticum esse affirmare, iustum semper peccare: *Peccare* enim, *est aliquid prauè agere, vnde reus fias, & Deo debitor ac obnoxius. Peccatum verò habere*, (quod affirmat S. Ioannes) *est reum esse propter prauum opus aliquando commissum.* vt docet idem Sanctus, *lib: 2. de Nupt. c. 26.* vnde iustus semper habet, propter quod veniam à Deo petat, dicatque: Dimitte nobis debita nostra; quia videlicet frequentius peccat, non quia semper peccat. Cassianus verò & S. Gregor: hoc tantùm apertè volunt, nullum esse sanctũ, qui aliquando non labatur, saltem in leuia peccata: sæpiùs tamen non labi, & sine comparatione plures esse in quouis eorum virtutes quàm vitia. Certè S. Greg: *lib: 3. Dialog: c. 14.* videtur affirmare de S. Isaaco, vnum quiddam tantùm in eo reprehensibile fuisse, idq; hominum tantùm fortasse in oculis, sic enim ait: *Qui cum virtute abstinentiæ contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione, esset incomparabiliter præ-*

ter præditus, vnum erat quod in eo reprehensibile esse videbatur, quòd nonnunquam tanta ei lætitia inerat, vt illis tot virtutibus, nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur. Quod ex magna Dei dispensatione fit, plerumq; enim, inquit, contingit, vt quibus maiora bona præstat, quædam minima non tribuat, vt semper eorum animus habeat, vnde se reprehendat, quatenus dum appetunt perfecti esse, nec possunt (intellige sine omni imperfectione) & laborant in hoc quod non acceperunt, nec tamen elaborando præualent, in his quæ acceperunt se minimè extollant, sed discunt, quia ex semetipsis maiora bona non habent, qui in semetipsis vincere parua vitia atq; extrema non possunt. Hinc est enim, quod perducto Dominus ad terram repromissionis populo, cunctos fortes atq; potentes aduersarios eius extinguens, Philistæos atq; Chananæos diutiùs reseruauit, vt sicut scriptum est, experiretur in eis Israël: quia nonnunquã, vt dictum est, eis etiam quibus magna dona tribuit, parua quædam reprehensibilia relinquit, vt semper habeãt, contra quod bellum gerant, & deuictis magnis hostibus mentem non erigant, quando eos adhuc aduersarij etiã minimi fatigant. Fit itaq;, vt miro modo vna eademq; mens, & virtute polleat, & ex infirmitate lassescat, quatenus & ex parte constructa sit; & ex parte se conspiciat destructam: vt per bonum quod quærit & habere non valet, illud seruet humiliter, quod habet. Hactenus D. Gregor. Hanc eandem rationem reddit & S. Leo, *Serm: de ieiunio Pentec.* Cur Deus permittat inesse aliquod vitium, scilicet quod exterius prodeat, nec ab eo possit se liberare: *Licet enim*

donet, inquit, *Deus Sanctus suus, quotidianam diuinâ gratiâ victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam: quia etiam hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de perfecto prælio superbiret, semper voluit superesse quod vinceret.* Indicat ergo hic S. aliquas culpas relinqui in Sanctis, duas ob causas: Prima est, ob maius meritum ipsorum, & virtutum exercitium, in eorum vitiorum resistentia ac lucta adhibita. Secunda, ob suarum virtutum custodiam, ne videlicet si vndiq; virtutibus splenderẽt, in aliquã inciderẽt elationẽ.

Notandum secundò, abuti solere homines aliquos, etiam Catholicos & doctos, imò & Religiosos, verùm imperfectos, his quæ attulimus, tum ex S. Scriptura, tum ex SS. PP. testimonijs. Sed frustra isti subdolè in prædictis patrocinium suæ imperfectioni ac tepiditati quærunt, cùm nunquam è vitiorum cœno emergere studeant, nec virtutibus heroicis insudare adlaborent; & deniq; vt Scriptura, & SS. Patres, vehementer contra tepiditatem & negligentiam in quærenda perfectione inuehuntur: sic contra ad feruorem, & ad diligens studium quærendæ perfectionis, sollicitè adhortantur.

CAPVT VI.

Non consistit hæc perfectio in dono faciendi miracula, seu in gratia sanitatum, nec in alijs etiam omnibus donis, seu gratijs gratis datis, etiam collectiuè sumptis.

Per gra-

PEr gratiam gratis datam, si spectemus non vocē, sed rē ipsam significatā, ex intentione SS. PP. & Theologorum scholasticorū, seu intentionē, aut designationem eorundem, quid per hanc vocem voluerint significare: intelligitur donum quodcunq; creatum, superadditū nostræ naturæ, & supernaturale, ac collatum per Christum gratis, & ex mera liberalitate in vtilitatem solùm proximorum, tanquam in finem. Per hoc enim solùm hæc gratia distinguitur, à gratia iustificante, seu iustificationis, aut à gratia gratum faciente, quæ etiam gratis datur, tamen quia habet speciale nomen gratiæ iustificantis, quæ homini ideo datur, vt coniungatur Deo, siue formaliter, siue dispositiuè, aut in aliquo alio genere causæ iustificetur, & perseueret in iustitia, non ipsa, sed reliqua dona Dei modo paulò ante explicato, seu beneficia, quæ non conferuntur in hunc finem, dicuntur gratiæ gratis datæ, ita vt nomine generico, vna quædam species gratiæ significetur, vt sæpè cōtingit, sicut bruta significantur nomine animalis, licet hoc homini etiam conueniat.

Has autem gratias gratis datas, enumerat S. Paulus, *1. Cor*: 12. his verbis: *Vnicuiq; datur manifestatio spiritus, ad vtilitatem*, videlicet aliorum, per Christum tamen; (Collatio enim donorū Dei, Spiritui S. attribuitur; quæ tamen dona non confert ille, nisi per Christum, quia Christus illa meruit:) *alij quidem datur sermo sapientiæ,*

per Spi-

per Spiritum S. id eſt à Spiritu S. *alij datur ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum, in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Hactenus Apoſtolus. Magna ſunt hæc & præclara 9. dona, quæ Deus ſupra naturam, ex mera liberalitate, dare ſolet hominibus in Eccleſia.

Eſt enim ſermo ſapientiæ, quo aliqui non ex literis quas didicerunt, vt inquit S. Ambroſ: explicans locum Apoſtoli citatum, ſed ex peculiari dono Spiritus S res diuinas & ſempiternas, quæ ſunt ſupra captum hominum, ad aliorum vtilitatem explanant. Sermo ſcientiæ eſt, quo alij in Eccleſia Dei mores inſtruunt, & quid in quouis ſtatu, aut modo viuendi liceat, quid nõ liceat; quid bonum, quid malum ſit, & inter mala, quid leue peccatum, quidue graue crimẽ, diſcernunt. Fidem præterea noſtram Chriſtianam confirmant, defendunt contra aduerſarios, alios ad credendum inducunt, ac deniq; contradictoriè conuincunt, totumq; hoc ipſi ſine vllo diſcurſu & labore à Deo habent. Fides verò, quam numerat Apoſtolus, eſt, non illa virtus Theologica, fundamentum omnium virtutum: quâ obiectis reuelatis à Deo propter authoritatem ipſius aſſentimur, & ea credimus: ſed vel donum, vt vult S. Thom: 2. 2. q. 8. & 9. quo

intelle-

intellectus, euidenter, sine discursu, & sine dependentia ab alia ratione priore assentiendi, ex solo impulsu diuino, obiecta fidei agnoscit esse credibilia, ita vt propter nullam rationem sit discedendum ab illis, & hoc ipsum clarè alijs aperit; vel vt vult S. Ambr: & Anselm: super locũ cit: Apost: donum Constantiæ ad confitendam fidem, etiam coram Principibus sæculi, & in medio tormentorum: quod fortasse intelligebat S. Dauid, cùm diceret Psal: 118. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & nõ confundebar.* Hoc verò donum ideò dicitur Fides, quia habet aliquam similitudinem cum fide, & quia ad fidem aliquo modo pertinet, id est ordinatur ad certitudinem fidei, maximè propter vtilitatem proximorum. Gratia sanitatum dicitur, quâ ægris, sine adhibitis medicamentis, sed modo quodam miraculoso, & supra naturam, curatio & sanitas affertur. Operatio virtutum, quâ alia prodigia & opera mirabilia patrantur: sicut Moyses ictu virgæ, vt legimus, *Exod:* 14. mare diuisit; & Iosue imperio vocis suæ, solem vt immobilis staret detinuit. Prophetia est, quæ ex diuina reuelatione, maximè futura nobis ignota prædicit. Discretio spirituum est, quâ homo qualitatem secretorum cordis intelligit; & quid sub specie boni sit, vel à proprio spiritu inuentum, vel à maligno spiritu immistum, vel simpliciter à Deo consultum, discernit; quod donum scimus habuisse S. P. N. IGNATIVM,

& qui-

& quidem modo adeo ſublimi, vt ad diſcernē-dos varios animi motus, vnde ſcilicet proueniant, nobis omnibus Regulas quaſdam ac Canones tradiderit, ad quos, ipſos, tanquam ad infallibile perpendiculũ quoddam, examinaremus. Donum linguarũ eſt, quo Apoſtoli ſancti aliena idiomata, & linguas ignotas, ſine labore & ſtudio, ſed beneficio Dei omnipotentis, & intelligebant, & loquebantur. Interpretatio deniq; ſermonum eſt, quà diuinæ ſcripturæ, & abditi earum ſenſus, miro modo, & ad captum aliorum aptè admodùm interpretantur. Hæ igitur gratiæ, quia fideles, quibus eas Deus in Eccleſia ſua confert, valdè exornant, & apud populos illis honorem & authoritatem conciliant; ac quandam opinionem ſanctitatis ingerunt, fit vt vulgus aliorum quidem miraculorum gratias, ſanitatum tamen maximè vt abſolutè perfectiones, ſic ijs præditos, integræ & ſolidæ perfectionis arbitretur.

Sed hic error eſt; neq; enim in his perfectionis ratio naturaq; conſiſtit, & quod magis eſt, neq; hæc indicia ſunt certa, & propria ſanctitatis & perfectionis. Totum hoc euidenter oſtendunt illa quæ diximus, *cap*: 3. Nulla enim harum gratiarum, imò nec omnes ſimul, ſunt ſanctitas & beatitudo hominis, ac vita ſpiritualis ſupernaturalis perfecta eiuſdem in hac vita, neq; finis omnium noſtrarum actionum, & qui in poteſtate noſtra ſit, ac conſequendus labo-

re nostro, non tamen sine auxilio Dei: ac proinde nec sunt perfectio, quam inquirimus. Nõ esse verò hæc in nostra potestate, vel ex earum data explicatione, est manifestum. Posse verò ista dona subsistere sine vita spirituali, etiam imperfecta & inchoata, id est sine gratia sanctificante (ex quo sequitur multò magis posse sine perfecta & absoluta, quam nos inuestigamus, & quæ gratiam sanctificantem pro fundamento supponit:) Christus ipse palam apertèq; protestatus est dicens, Matth: 7. *Multi dicent mihi in illa die; Domine, Domine, nonnè in nomine tuo dæmonia eiecimus, prophetauimus, & virtutes multas fecimus: Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Quomodo ergo perfectio vitæ spiritualis, & sanctitas absoluta, in his donis constitui poterit, quæ nec vitam spiritualem præexigunt, & in spiritualiter mortuis, Dei ac sanctificantis gratiæ hostibus, possunt inueniri? & cum maximâ iniquitate, quæ scilicet exclusionem à Regno Dei meretur, stare possunt? nec deniq; præmium & mercedem habent vitam æternam? Præclarè S. Greg: expendit hæc eadem verba Christi, scribens lib: 20. Mor: c. 8. & 9. super illud Iob cap: 30. *Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vitâ ipsa putabantur indigni.* quæ explicat hoc pacto: *Qua nimirum sententia Domini, quid datur intelligi, nisi vt in hominibus, charitatis, non autem virtutum signa debeant venerari. Vnde nunc S. Ecclesia,*

etiamsi

etiamsi aliqua fiant Hæreticorum miracula, despicit; quia hæc sanctitatis specimen non esse cognoscit. Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed vnumquemq; vt se diligere; de Deo autem vera cognoscere, de proximo verò meliora quàm de seipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi, veritas demonstrat, quæ ait Ioan: 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Qui enim,* ait, *in hoc cognoscemini, quia mei discipuli estis, si signa feceritis? Sed ait: si dilectionem habueritis ad inuicem, apertè indicat, quia veros Dei famulos, non miracula, sed sola charitas probat. Testimonium ergo superni discipulatus, est donum fraternæ dilectionis, quam videlicet dilectionem, quia omnes Hæretici habere refugiunt, dum ab vniuersalis Ecclesiæ vnitate diuiduntur, iure de eis dicitur* (scilicet à S. Iob, loco cit:) *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo. Et quia ad eadem signa, quæ exhibent, nulla humilitate concordant, rectè subditur: Et vitâ ipsâ putabantur indigni.* Hæc ille. Diuus etiam Hieron: super eadem verba S. Matth: lib: 1. ita scribit: *Prophetare, & virtutes facere, ac dæmonia eijcere, interdum non eius meriti est qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc facit, vel ob condemnationem eorum qui inuocant, & vtilitatem eorum qui vident, & audiunt, conceditur, vt licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorarent, ad cuius inuocationem fierent tanta miracula. Nam & Saul* 1. Reg: 10 *& Balaam,* Num: 23. *& Caiphas,* Ioan: 11. *prophetârunt, nescientes quid dicerent: & Pharao,* Gen: 41.

& Nabuch: Dan : 2. *somnijs futura cognoscunt, & in Actibus Apostolorum filij Scæuæ*, cap: 19. *videbantur eijcere dæmonia. Deniq; Iudas Apostolus, cum animo proditoris, multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur.* Hactenus D. Hieron. Accedit, quòd multi sancti & perfecti fuerunt, vt D. August: Chrys: Athanasius, Nazianz: in quorum vitis nulla legimus miracula. Et de S. Ioanne Baptista, quo inter natos mulierum non surrexit maior, non scribitur quòd signum fecerit aliquod. Iure igitur Christus Dominus ex possessione gratiæ miraculorum, & aliarum donorum gratis datorum, gaudentes Apostolos commonefecit, & gaudium illorum compressit: *Ecce*, inquit Luc: 10. *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Et hanc causam puto esse, cur non incitet Dominus homines ordinariè ad quærenda hæc dona, & ab ipso postulanda: Ad perfectionem verò consequendam, nullus est qui à Domino non permoueatur. Ac propterea & S. Paulus enumeratis his gratijs, non iubet vt eas cupiamus, aut æmulemur, sed *æmulamini*, inquit, *charismata meliora. Et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro*: id est viam perfectionis, quam æmulari non est periculosum, quam postulare non est inane, quia id cupimus, id æmul amur, id po-

ſtulamus, quod Deus nobis ſuadet, & ad quod nos hortatur, nimirum perfectionem: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt;* Matth: 5. Hæc ergo quærenda, hæc tota mentis contentione poſtulanda. Legimus in Actis Apoſt: *cap*: 8. Simonem Magum conuerſum ad Chriſti fidem à S. Philippo, cùm videret ſigna & virtutes maximas fieri ab Apoſtolis, non ſolùm in admirationem raptum, ſed & ardore magno habendi has gratias gratis datas accenſum fuiſſe, inſuperq; obtuliſſe SS. Apoſtolis pecunias, dicendo: *Date & mihi hanc poteſtatem, &c.* Sed maiora ſine comparatione ſunt, quæ hæc perfectio in viris perfectis, & per ipſos in alijs quoq; operatur, vt maiore quoq; admiratione digna ſit, & ardentiore cordis deſiderio inquirenda, maximè cum gratis & abſq; argento Deus eam ſtudioſè & abſq; hæſitatione poſtulantibus, ac manus operi admouentibus, promptè conferre ſoleat. Et licet dona hæc gratis data, etiam in inimicos occulto iudicio diuina maieſtas congerere valeat: Sciendum tamen eſt, hæreticos non poſſe facere miracula in confirmationem alicuius ſui erroris, cõtrarij fidei Chriſtianæ: quia cùm hoc ſit falſitas, Deus virtute ſua (neceſſaria eſt enim & quidem primariò virtus ipſius, ſeu omnipotentia ad faciendum miraculum) concurreret ad teſtificandum falſum, & ad decipiendos homines; quod illi conuenire non poteſt.

Quæres. Si natura & essentia perfectionis in gratijs gratis datis non consistit, cur Ecclesia miracula ad Canonizationem Sanctorum requirit? Respondeo, non omninò ab Ecclesia miracula exigi; sed quia supposita perfectione in viris pijs, non tamen in omnibus signa sunt sanctitatis, & indicia quædam cælestis conuersationis, optimo iure ea postulari. Vnde rectè D. Greg: Homil: 29. in Euang: *Signa*, inquit, *& miracula sanctitatem ostendunt, non faciunt.* Sic enim Deus vult amicos suos aliquos ornare, & mundo celebres reddere, sicut Reges terreni amicos suos honoribus conspicuos efficere cōsueuerunt. Alijs verò Sanctis Deus hæc non concedit, propter rationem superiori capite dictam. Et ne, vt ait S. August: *lib: 83. qq. qu: 29.* decipiantur infirmi, existimantes in his donis, maius quid positum esse, quàm in operibus iustitiæ, quibus vita æterna comparatur.

Quare autem Deus initio nascentis Ecclesiæ ad roborandam fidem recentem, voluerit fieri plura miracula: pulchrè S. Gregorius *lib: 27. Moral: c. 24.* super illa verba S. Iob, *c. 37.* Subter omnes cælos ipse considerat: *Et scriptum est*, inquit, *linguas datas esse in signum, non fidelibus, sed infidelibus.* vbi etiam quare S. Paulus Timotheum fidelem more medici, alimentis curet, *1. c. 5.* modico vtere vino; patrem verò Publij infidelem, Melitæ febri laborantem, orando sanauerit, Act: 24. *quia prior*, inquit, *intus viuebat*, scilicet per fidem & gratiam, &c.

CAPVT VII.

Non est posita perfectionis substantia in tribus præcipuis Consilijs Euangelicis; Paupertatis, videlicet Castitatis, & Obedientiæ, Voto etiam licet solemni firmatis.

HÆc tria præcipua esse consilia Euangelica certum est, cùm ipsa vel sola, vel præcipuè non item alia, substantiam status Religiosi constituant, quæ ideò dicuntur consilia, sicut & reliqua, quia non sunt præcepta, sed in nostra voluntate posita; ac proinde nō necessaria omnibus ad salutem, vt ait S. August: *Serm: 61.* de tempore; vtilia tamen & proficua ad eandem facilius & melius consequēdam, atq; ideò à Deo misericordissimo hominibus consuluntur. Constat hoc clarè ex verbis Christi Domini, Matth: 19. *Si vis esse perfectus, vade; & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Et, *qui potest capere, capiat.* Quo modo loquendi non solet vti Christus D. nec Spiritus S. cùm præceptum aliquod nobis proponit, verùm absolutè dicit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et, *Nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neque molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei poßidebunt*; 1. Cor: 6. Præcepta enim vniuersis sunt necessariò seruanda, & sub pœnæ æternæ interminatione proponuntur; consilia

verò omnibus liberè amplectenda, sub spe melioris mercedis suadentur: illa sunt via necessaria cunctis tendentibus ad patriam, hæc vero compendia, breuiora scilicet ad eandem, & securiora, libera tamen. Hæc sunt vita hominis quodammodo, quod Deus ipse traditis præceptis, indicare videtur, Deut: 30. *Considera*, inquit, *quod tibi proposuerim vitam & bonum*, id est, custodiam præceptorum, *& è contrario, mortem & malum*; id est, transgressionem illorum. nam per transgressionem præceptorum mortem incurrimus, sicut per obseruationem eorundem, vitam obtinemus. *Consilia verò*, vt docet D. Augustinus, lib: 1. de adulter: coniu: c. 14. *sunt medicamenta, quibus vita promissa à Deo conseruatur.* Quod quamuis omnibus consilijs Euangelicis conueniat, potissimum tamen his tribus, quorũ mentionem fecimus; sunt enim excellentiora alijs. Et ideò Christus Dominus, quia potissimum hæc suadebat hominibus, dictus est ab Isaia c. 9. Consiliarius.

Non potest tamen dici, substantiam perfectionis, quam inquirimus, in his tam arduis ac sublimibus consilijs positam esse. Quæ res quãuis probatione apud homines Religiosos, maximè Societatis, non egeret, tamen vt magis pateat nobilitas & excellentia perfectionis, & altior esse res his ipsis consilijs agnoscatur, adferam duo argumenta. Primum est. Quia omnibus Religiosis, qui se votis etiam propter maius

meritum,

meritum, ad hæc consilia seruanda astrinxerũt, suadetur, vt perfectioni quærendæ insistant, quod & tenentur illi præstare ex vi status Religiosi, vt infra videbimus: ex quo manifestè satis colligitur, substantiam huius perfectionis in illis tribus consilijs non consistere, aut collocandam esse. Alterum. Consilia hæc, & custodia, seu obseruatio eorum, non sunt finis vitæ spiritualis perfectæ, quam muneribus huius vitæ comparare contendimus, ac proinde iuxta ea quæ superiùs vidimus, non possunt esse perfectio hæc quam inquirimus. Assumptum nostrum patet ex verbis Christi, *Matth*: 19. addita expositione SS. Patrum. Adolescenti enim quærenti ab eo, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* & affirmanti intrepidè, se omnia mandata, quorum custodiam ad eius consecutionem Saluator dixerat, à iuuentute seruâsse, ac propterea rursum vrgenti, quid sibi ad assequendũ præmium cæleste deesset: Respondit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes.* Ac si dicere vellet: Si non es contentus mediocritate perfectionis, quæ est in communi vita, & in obseruatione mandatorum Dei, sed aspiras ad finem totius legis, scilicet ad plenam perfectionem; perfectionis impedimenta remoue, diuitias videlicet & opes relinque, sic enim postmodùm ipsam assequeris. Clarissimè hoc indicat D. August: *cap: 121 in Enchirid.* Consilia nimirum, & custodiam illorum esse media, & instrumen-

ta ad consequendam perfectionem, seu finem vitæ spiritualis perfectæ in hac vita: *Quæcunq;*, inquit, *vel mandat Deus*, vt v. g. *non Mechaberis, &c. vel quæcunq; speciali consilio suadet*; vt v. g. *Bonum est homini mulierem non tangere, &c. tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad Deum, tanquam ad finem (quia scilicet propter eum fiunt) & ad diligendum proximum propter Deum.* Cassianus verò Collat: 1. cap: 7. Consilia hæc dicit esse similia instrumentis artis, quæ non sui gratia, sed finis artis causa parantur, sic & illa, gratia perfectionis. Verba illius sunt: *Ob hoc quis vtensilia cuiuslibet artis instruere sibimet ac præparare festinat, non vt ea poßideat otiosa, nec vt emolumenti illius fructum, qui speratur ex ipsis, in nuda instrumentorum possessione constituat; sed vt eorum ministerio peritiam finemq; illius disciplinæ, cuius hæc adiumenta sunt, efficaciter apprehendat. Igitur ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum,* (ecce consilium paupertatis) *non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt; quia non in illis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.* Clariùs verò cap: 6. *Non statim perfectio contingit nuditate ac priuatione omnium facultatum & dignitatum, sed cordis puritate, hoc est, corde intacto à cunctis perturbationibus.* Hæc ille.

Patebit autem hoc clariùs, discurrendo singillatim per hæc tria consilia. Primum enim abdicatio scilicet voluntaria omnium rerum temporalium propter Deum, & perfecta custodia huius consilij, liberat nos tantùm à laqueis

in quæ incidunt, qui teste S. Paulo, *1. Tim*: *6.* diuites fieri volunt: hinc verò non continuò sequitur, peruenisse iam nos ad perfectam Christi sequelam, in qua vel consistit perfectio nostra, vel hæc ad eam requiritur: Sicut non eo ipso quo aliquis à compedibus liber factus est, iam ad patriam peruenit & ad domum; sed itineris labores exhauriendi sunt, & alia præstanda, quæ ad locum destinatum consequendum conducunt. Confirmat hoc S. August: lib: 50. Homil: hom: 34 c. 8. explicans illa verba: Si vis perfectus esse, vade, &c. *Iam venditis omnibus meis, & distributis pauperibus, nonné perfectus sum? Quid opus vt te sequar? Sequere me, vt discas, quoniam mitis sum & humilis corde. Potest enim quisque vendere omnia sua, & dare pauperibus, nondum tamen mitis esse corde & humilis, & nec sequi Christum, id est, imitari.* Idem clarè docet & D. Hieron: lib: 3. in Matth: ad c. 19. *Non sufficit ad perfectionem vendere totum, quod habet, & dare pauperibus, nisi post contemptas diuitias Saluatorem sequatur, id est relictis malis faciat bona. Faciliùs enim sacculus contemnitur, quam voluptas. Multi diuitias relinquentes, Dominum non sequuntur: sequitur autem Dominum qui imitator eius est, & per vestigia illius graditur.* Et infra ibidem: *Centuplum & vitã æternam non esse Apostolis promissa, quia omnia reliquerunt; hoc enim & Crates fecit Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt: sed quia Christum secuti sunt, quod opus Apostolicum est, opus reuera absolutum & perfectum.* Hactenùs ille. Ad-

de ex D. Thom: *Opus: 18. c. 7.* vbi non solum dicit, Paupertatem non tam perfectionem censendam esse, quam viam ad perfectionem; sed etiam non esse viam absolutè necessariam. Docet enim Abrahamum perfectionem ad quam inuitabatur à Deo, scilicet perfectionem simpliciter, *Gen: 17. Ambula coram me, & esto perfectus*; assecutum fuisse, licet diuitias nunquam abiecerit, nec opulentissimam familiam deseruerit. D. etiam Prosper testatur, plurimos sanctissimos Episcopos, reditus amplissimos Ecclesiæ possidendo, statum perfectionis tenuisse. Secundum verò consilium, id est Castitas etiam Angelica, & virginitas purissima, illud tantùm teste S. Tho: 2. 2. q. 152. ar: 2. confert hominibus, vt meliùs contemplentur veritatem, & cogitent quæ Dei sunt, & magis ei vniantur, vt testatur Apostolus, 1. Cor: 7. *Mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Deniq; vt meliùs orent; quamobrem etiam cõiugatis suadetur ibidem ab Apostolo abstinere ad tempus, vt vacent orationi. Medium est igitur castitas ad magis cogitandum de Deo, & meliùs orandum, ac illi adhærendum, deniq; ad eum amandum; ac proinde ipsa non est perfectio. Imò Castitas destituta alijs virtutibus, pro nihilo reputatur à Deo, vt testatur D. Bernard: Ser: 2. super Missus est: *Potest*, inquit, *placere humilitas, quæ deplorat amissam virginitatem: sine humilitate nec virginitas Mariæ placuisset.*

Et epist: 42. *Castitas vt alicuius pretij sit, cum charitate est coniungenda.* Tertium tandem & vltimũ consilium, quo propriam voluntatem abnegamus, & nos ac omnia nostra, prælati voluntati, propter Deum perfectè subijcimus, ideò suadetur, ne erremus in via perfectionis, & vt obediendo quæramus perfectionem, ac tandem eam cõsequamur. Quod etiam verba Christi, *Luc: 14.* videntur indicare: *Si quis venit ad me*, ait Christus, *& non odit patrem suum, matrem, filios, fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam*, id est, propriam voluntatem, quod fit per obedientiam, *non potest meus esse discipulus.* Medium scilicet ponit ad perfectionem, etiam Obedientiam.

Ex his clarè patet, neq; etiam in perfectissima obseruatione horum trium consiliorum, naturam perfectionis consistere.

CAPVT VIII.

Multum prosunt tria prædicta præcipua consilia Euangelica, ad Perfectionem consequendam.

VIdimus capite præcedẽti, ex sententia SS. Patrum, hæc tria consilia Euangelica, esse instrumenta perfectionis acquirendæ. Ostendam in præsentia, non esse qualiacunq; instrumenta, sed aptissima & validissima præ alijs.

Primò. Triplicia sunt bona hominis in mundo, alia fortunæ, alia corporis, alia animi;

omnia autem hæc maximo sunt homini impedimento ad perfectionem, quia sunt onera & occasio peccati, & propterea homo priuat se illis, & exonerat, vt faciliùs ac expeditiùs perfectionem consequatur. Excutit autem hæc onera tribus his consilijs, quæ illis ex diametro repugnant, & circumciditur ab his, ex omni parte, per has tres virtutes; per Paupertatem voluntariam, bonis fortunæ, diuitijs scilicet, & alijs rebus externis; per Castitatem bonis corporis, corpore videlicet proprio, ac amore inordinatò eiusdem, & parentibus: denique per Obedientiam bonis animi quodammodo exuitur, animum enim proprium cum principibus facultatibus, intellectu & voluntate per Obedientiam perfectam, penitùs abnegat, vt proinde sine sacrilegij nota, hæ res appeti ac vsurpari non possint.

2. Ad perfectionem præterea requiritur, vt se homo totum tradat Deo, & omnia impedimenta quæ hanc donationem impedire possent, remoueat: vtrumq; autem hoc consequitur per has tres virtutes, per quas & tradit se ei totum, & consecrat irreuocabiliter, cùm animam, corpus, & res externas, per Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem, dedicat: si quidem necessariò hæc vniuersam bonorum congeriem continent, ac complectuntur.

3. *Radix omnium malorum est cupiditas*, 1. ad Timoth: 6. hæc autem ad tria capita reuocatur, ad

Luxu-

Luxuriam, Auaritiam, & Superbiam; quæ vitia orbem vniuersum impio triumuiratu obsederunt; *quia omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*; 1. Ioan: 2. qui sunt fontes omnium impedimentorum acquirendæ perfectionis; hos verò obstruunt & exsiccant tria illa consilia: concupiscentiam enim carnis Continentia comprimit; concupiscentiam oculorum Paupertas eneruat; superbiam vitæ Obedientia mortificat, atq; extinguit.

4. Paupertas, Castitas, & Obedientia, sunt semina aliarum virtutum moralium, quibus possidetur perfectio; & ipsæ hæ virtutes valde optant hæc ipsa consiliorum opera, tum vt ipsæ sint, tum vt ornentur ab illis; deniq; vt fructum afferant copiosiorem.

5. Perfectio has tres virtutes maximè amat, quia his homo verè Christum imitatur.

6. Hæc tria immunditiam sæculi à corde abstergunt, & hominem totum ad superna consideranda & desideranda, quod requiritur ad perfectionem, sustollunt.

7. Puritas cordis requiritur ad perfectionē; hæc haberi potest per Castitatem, imò & Paupertatem.

8. Incorruptio facit hominem proximum Deo, & quò quis proximior Deo, eò incorruptior: hoc verò requiritur ad perfectionem, quia hæc consistit in similitudine cum Deo. Incorru-

corruptio verò potest haberi per Castitatem.

9. Conformitas cum voluntate Dei, idem scilicet velle, & idem nolle, requiritur ad perfectionem; hoc autem habetur per Obedientiã.

10. Faciliùs mens leuatur ad Deum per Paupertatem, & propterea illam vocat D. Bernardus, pennam seu alam, qua ad cælum eleuamur.

11. In via perfectionis manu duci oportet, quia difficilis est, ignota, periculosa, & lubrica. Paupertas est manuductrix ista, secundum D. Bernardum, item Obedientia.

12. Paupertas est calcar ad pietatem, quam præsupponit perfectio; pœdagogus est pietatis paupertas, inquit D. Basilius.

13. Faciliùs in Paupertate voluntaria pugnatur cum dæmone. Hinc D. Gregorius ait: *Sicut nudus est diabolus, ita nudum oportet esse eum, qui cum eo pugnat*; Hom: 32. in Euang. Perfectio autem siue pugnâ, imò maximâ & continuâ cum dæmone, non habetur.

14. Sunt etiam hæc consilia efficacia media, ad ipsa præcepta meliùs custodienda, quod requiritur ad perfectionem, vt per se patet, & experientia docet.

CAPVT IX.

Multominùs consistit substantia perfectionis in alijs consilijs Euangelicis, inferioribus, vel in exactâ obseruatione præceptorum Decalogi.

EX dictis *cap:7.* à fortiori patet, naturam perfectionis non esse constitutam in alijs inferioribus consilijs Euangelicis, neq; in exacta obseruatione præceptorum Decalogi, aut quorũlibet aliorum præceptorum moralium. Multò enim magis hæc consilia, & præcepta omnia, (vno fortassis excepto Charitatis, de quo infra) sunt tantùm media ad perfectionem. Finis enim præceptorum est Charitas, ac proinde perfectio, *1. Tim: 1.* Ergo illa sunt media, quanquã inferiora præcedentibus, media inquam remouentia impedimenta cõtraria Charitati, & perfectioni, videlicet peccata, quæ illam vel tollunt, vt mortalia, vel diminuunt feruorem & decorem illius, vt peccata venialia. Docet hoc totum D. Thom: 2. 2. q. 184. a. 3. & confirmat ex D. Aug: in Enchirid: c. 12. & Cass: collat: 1. c. 7. *Hæc enim*, inquit, *omnia, impedimenta tantùm perfectionis remouent, & ideò illis seruandis insistimus, vt perfectionem assequamur.* Quid quod obseruatio horum præceptorum, quoad substantiam suam potest esse sine ipsa vita spirituali, id est Gratia, & Charitate, vt docet D. Tho: 1. 2. q. 100. a. 10 & cum eo alij Theologi, sine qua perfectio nequit esse, quomodo enim perfecta sanitas esset?

CAPVT X.

Explicatur sententia quorundam Neothericorum, de natura & substantia perfectionis; & refellitur.

SPirituales quidam viri Neotherici, videntes in his omnibus, quæ hactenus reiecimus, non posse consistere naturam ac substantiam perfectionis, cùm nihil aliud superesse illis videretur, quod in nobis sit, & non pari ratione excludi à ratione perfectionis debeat, constituerunt illam, vt docet noster Ioan: Crombe: *lib*: 1. de studio perfectionis, *cap*: 30. & ostendit ex Theologia illorum mystica, constituerunt, inquam, in Inactione, seu peculiari quadam actione increata Dei, delapsa in essentiam animæ nostræ, Deo prorsus derelictæ, vt de ea ipse quod libuerit faciat. Qui actus diuinus infinitus, vbi in animam illapsus est, omnem actus nostri imperfectionem pellit, regnatq; perfectio, quæ in actu nostro consistere non debet, eò quòd plus æquo per illum bonum nostrum appetamus.

Atque ita Inactio duo includere videtur. Primò, exclusionem omnis nostræ actionis tāquam imperfectæ, & obnoxiæ cupiditati amoris proprij; vt Inactio idem sit, quod non actio, seu negatio actionis. Secundò, soliùs Dei actionem, in animæ nostræ essentiam illapsi ibique agentis. Hanc ergo Inactionem, volunt esse finem omnium nostrarū actionum, etiam perfectissimarum, per quas disponimur ad ipsam, ac proinde veram perfectionem. Explicant hoc illi similitudine pueri, brachijs paternis contineri, portariq; gestientis: duo enim sunt in hoc

puero, primum, desiderium dictum, & consensus dum rapitur amore ac brachijs paternis; secundum, actus ipsius patris filium tenentis, &c.

Existimat Crombet. hos Doctores venisse in hanc sententiam, ex illa altera quorundam Theologorum scholasticorum, qui beatitudinem nostram futuram in altera vita, constituunt in vnione quadam increata essentiæ diuinæ, cum essentia animæ nostræ, quam vnionem vocant illapsum. Sed vt illa meritò à communi scholasticorum sententia reijcitur, ita & hæc, propter easdẽ rationes. Par enim ratio vtriusq; ; cuius refutatio absoluta, licet ad scholas Theologicas ablegari debeat; adferam nihilominùs aliqua faciliora.

Primò, quia hæc sententia, non est communis, sed noua; Secundò, quia contraria sententiæ sanctorum Patrum, qui in alio constituunt substantiam perfectionis, vt videbimus infra. Videtur verò etiam impugnare eam S. Aug. lib: 2. contra Maxim: cap: 12. *Cùm dicit*, inquit, *Dominus, estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est: non vult illos Deo in vnitate naturæ coniungere, tanquam illorum & illius vna eademq; sit natura; sed perfectos vult esse in sua natura, sicut Deus perfectus est in sua, quamuis in diuersa, non in vna.* Tertiò, sequerentur hæc duo, vnumquemq; hominem perfectum esse, & perfectionem amitti non posse, quia Dei actus infinitus nunquam potest non esse præsens essentiæ animæ nostræ,

ſicut neq; ipſe Deus. Quartò; Concilium Trident. contra Lutherum & Oſiandrum, *Seſſ: 6. can: 10.* docet, nos non eſſe formaliter iuſtos per iuſtitiam extrinſecam nobis, id eſt non inhærentem, ergo nec perfectos, &c. par enim vtriuſq; eſt ratio. Et quia perfectio hæc vel includit illam iuſtitiam, vel ipſa etiam eſt abſoluta & perfecta noſtra iuſtitia, ſicut eſt abſoluta & perfecta ſanctitas: Illa verò Inactio non eſt in nobis ſed in Deo, ac proinde non poteſt eſſe noſtra perfectio. Quintò; perfectio debet eſſe in noſtra poteſtate, & debet eſſe clara, obuia & perſpicua, vt ab omnibus appeti poſſit, alioquin, maximè Tyrones, deſpondebunt animum ſolà ignotæ perfectionis recordatione. Inactio verò explicata non eſt in noſtra poteſtate, & pluribus ſaltem incognita, obſcura, ac difficilis intellectu, imò lectis multis explicationibus illius, vix conſtat quid ſit. Deniq; nunquam nos ad talem perfectionem excitat ſacra Scriptura, SS. Patres, ipſa demum Eccleſia, ſed ad bene agendum, id eſt ad perfectionem conſequendam. Non poteſt igitur conſiſtere illa, in Dei ſolius operatione increata. Dices: Quid ſi quis doceret Inactionem hanc eſſe actionem ſolius Dei, ſed creatam? Reſpondeo, contra hunc quoq; facerent argumenta allata: præter tertium & quartum.

CAPVT

CAPVT XI.

Expenditur ſententia eorum, qui perfectionem abſolutè conſtituunt in Charitate Dei, & ſola.

MVltorum hæc eſt ſententia; quæ tamen abſolutè ita prolata, non tantum dubia eſt, ſed etiam à veritate aliena.

Duplex enim, primò ſecundùm omnes Theologos eſt Charitas Dei, quæ idem eſt quod dilectio ſeu amor Dei: dilectio autem, & amor circa Deum duplex quoq; eſſe poteſt, concupiſcentiæ ſcilicet & beneuolentiæ: per primam diligimus Deum, vt nobis bonus eſt, ſeu vt eſt noſtra beatitudo obiectiua: per ſecundam verò vt eſt bonus in ſe, & ſecundùm ſe, hoc eſt, qua volumus illi bonum, quatenus illius bonum eſt. Quæ duæ dilectiones hoc differunt, quòd poſterioris formale obiectum eſt bonitas abſoluta, qua Deus eſt bonus in ſe: Prioris verò, bonitas Dei veluti reſpectiua, id eſt cum reſpectu, qua bonus eſt nobis. Meminit huius vtriuſq; dilectionis, inter alios, Diuus Bernard: Tract: de diligen: Deo, circa finem, vbi ſic habet: *Alius*, inquit, *Deum diligit, quia nobis bonus eſt; Alius quia ſimpliciter bonus eſt. Prior mercenarius eſt & cupit ſibi; poſterior Filius eſt vel filialis, & defert patri. Prior propter ſe, id eſt propter ſuum commodum agit. Sola quæ in Filio eſt charitas, non quærit quæ ſua ſunt.* Hæc ille.

Priorem dilectionem docent Theologi cum Diuo Thom. 2. 2. q. 17. posse oriri ab illa virtute, quæ vocatur Spes. Posteriorem verò à Charitate sic dicta ex vsu Ecclesiastico & SS. Patrũ, quæ distincta est omninò re virtus à Spe, vt ijdẽ asserunt cum Diuo Thom: 2. 2. q. 23.

Vtraq; verò hæc dilectio Dei, tam concupiscentiæ, quàm beneuolentiæ seu amicitiæ cũ Deo, potest esse & naturalis, & supernaturalis, id est, fieri ab homine & viribus proprijs, & non proprijs, nisi auxilio supernaturali Spiritus sancti confortentur, vt ijdem locis cit: explicant & docent.

Cùm igitur tàm variæ sint hæ dilectiones seu Charitates, dubia est sententia, cùm absolutè profertur de charitate, quænam earum sit perfectio quam inquirimus, vt per se patet. Sed nec vera esse potest. Primò quidem; quia perfectio res est supernaturalis, vt vidimus *cap*: 3. cùm sit absoluta hominis & perfecta vita spiritualis. Neutra igitur Charitas seu dilectio tàm concupiscentiæ quàm beneuolentiæ naturalis potest esse perfectio. Secundò, amor concupiscentiæ etiam supernaturalis ad virtutem Spei Theologicam pertinet, vt vidimus. Ex hac enim nascitur, sicut spes adipiscendæ suo tempore beatitudinis, ita & intentio & amor eiusdem, ac deniq; timor non acquirendæ. Virtus autem spei etiam Theologicæ, potest esse in peccatoribus, vt docent Theologi in 2. 2. & ex-

perientiâ patet. Et deniq; Concilia asserunt: est enim actus Spei, dispositio ad iustificationem. At peccatores cùm perfecti dici nequeāt, quomodo in eis reperiri dicenda erit perfectio, quam inquirimus? nullo modò; longè enim ab illa absunt. Accedit quod talis amor etiam supernaturalis, sit mercenarius, vt ostendimus etiam ex S. Bernardo. Quomodo verò in tali amore, perfectio res tam nobilis & eximia cōstituetur; cùm talis amor solus, ne quidem ad saluandum hominem sufficiat. Tertiò, Amor quoq; beneuolentiæ erga Deum, etiam supernaturalis, quo scilicet Deus diligitur propter se, quatenus est autor rerum supernaturalium, & ita diligitur, vt nihil admittat contrarium dilectioni ipsius, nec anteponat vel æquet amicitiæ eius, qui amor ad tertiam virtutem Theologicam Charitatem pertinet, vt vidimus: hic inquam, amor, potest esse etiam in imperfectis, & in incipientibus, qui vix aliquas virtutes habent, & qui, iam iam, ex grauissimo cæno peccatorum mortalium, virtute sacramenti emerserunt: quos, quis simpliciter perfectos esse dicet? ac proinde perfectio quam inquirimus, etiam in tali amore constitui non potest. Dixi, quā inquirimus, quia quòd talis amor, sit aliqua perfectio, negari non potest; vt patet ex ijs quæ diximus, cap: 3. de virtutibus moralibus. Et indicat D. Ioannes 1. Epist: cap: 2. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Nihi-

lominus tamen talibus etiam dicitur: *Si vis perfectus esse, vade,* &c. quod signum est, Charitatẽ hanc, hoc modo etiam acceptam, esse viam ad perfectionem in hac vita acquirendam. Quartò, Charitas etiam modo explicato accepta, cadit sub præceptum; est enim omnibus præcepta, omnes obligat, vniuersos ipsa astringit, & in vtraq; lege est, primum est & maximum mandatum de ea, vt docuit Christus Dominus Mat: 22. ac proinde implendum est ab vnoquoq; hoc præceptum ad euitandum peccatum mortale, vt docet S. August. in lib: de Perfectione iustitiæ. Non possunt igitur huic Charitati, vt sic, perfectionis nomen & tituli tribui, quæ ex se libera esse debet, seu in libera nostra voluntate, & non præcepta omnibus vt videbimus cap: 21. Quintò & vltimò: repugnat quoq; hæc sententia autoritati SS. Patrum, vt patebit cap: 13. & 15.

CAPVT XII.

An Charitas Theologica, iudicio Sanctorum Patrum, sit Perfectio quam inquirimus.

CONstans est & vnanimis sententia Sanctorum Patrum, perfectionis naturam ac substantiam in Charitate Theologica consistere. Hoc igitur ex mente eorundem in præsentia videamus.

Clemens Alexandr. describens 4. Stromatum, virum simpliciter perfectum, sic ait:

Qui au-

Qui autem est perfectus, propter Charitatem omnia suffert, omnia sustinet, non vt homini placens, sed vt Deo. Idem quoq; 7. Strom. dicit, *ei competere perfectum esse, qui vsq; ad mortem omnia ex Charitate sustinet, & martirij coronam obtinet. Qui*, inquiens, *cum vera religione rectè vitam instituerit, maximam inter homines dignitatem consecutus, nec sic quidem eò peruenniet, vt dicatur in carne perfectus, quoniam hanc appellationem præocupauit vitæ finis, eum qui est martyr ex cognitione, vt perfectum opus ostenderet, sanguine per Charitatem ex cognitione profectam benigne donato emittens spiritum; beatus autem hic fuerit vt iure perfectus vocetur, vt sublimitas potestatis Dei sit, & non ex nobis, vt dicit Apostolus*, 2. Cor: 4. Idem docet S. Aug: de Verb: Apost: serm: 17. *Non vult*, inquit, *Ecclesia, vt pro Martyribus oretur. Certarunt enim illi contra peccatum vsq; ad sanguinem. Quibusdam verò adhuc imperfectis, & tamen ex parte iustificatis ad* Hebr: 12. *dicit Apostolus. nondum enim vsq; ad sanguinem pugnâstis, aduersus peccatum pugnantes. Si ergo illi nondum vsq; ad sanguinem, procul dubiò aliqui vsq; ad sanguinem. qui vsq; ad sanguinem? vtiq; SS. Martyres, de quibus lectio S. Iacobi Apostoli, c. 1. Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: perfectis iam dicitur, qui etiam possunt dicere ex Psal: 25. Proba me Domine & tenta me. Scientes*, inquit, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. quid addi potest vt opus perfectum habeatur?* Hæc ille hîc, & lib: 2. de doctr: Chri: c. 22. sic ait: *Tunc optimus est homo, id*

est, perfectus absolute, cùm tota vita sua pergit incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Certum autem est, nos adhærere toto affectu Deo, per Charitatem Theologicam. Si enim quilibet amor, vt docet D. Herotheus apud D. Dionysium l. de diu: nom: c. 4. p. 2. est virtus vnitiua, quantò magis charitas Theologica? *Quid namq; tenacius hoc glutine*, inquit S. Bernard. serm: 79. in Cant: Charitatem intelligens, *quod nec aquis eluitur, nec ventis dissoluitur, nec scinditur gladijs.* Deniq; *aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem.* Idem docet Richardus de gradibus Charitatis, c. 50. & ipse D. Augustinus l. 8. de Trinit: c. 10. *Amor est quasi vinctura quadam duo aliqua copulans, amantem scilicet & quod amatur.* Item secundùm eundem, amor est gluten, nam vbi nos legimus Psal: 62. Adhæsit anima mea post te, S. Augustinus legit, agglutinata est anima mea tibi, ex quo probat, Charitatem esse gluten, quo vnimur Deo & proximis. D. Chrysostomus l. de incomprehensibili Dei natura, hom: 1. propterea vocat Charitatem bonorum omnium radicem & parentem. Deniq; D. Thomas l. de perfect: vitæ spirit: c. 20. expressè sic habet. *Primùm igitur & principaliter consistit spiritualis vitæ perfectio in dilectione Dei, secundariò in proximi dilectione.* Alia Patrum testimonia circa hanc rem seq: cap: adferemus.

CAPVT

CAPVT XIII.

Non constituunt Sancti Patres integram perfectionis essentiam in Charitate Theologica nudè & absolutè sumpta.

CErtum est Sanctos Patres, cùm perfectionis essentiam in Charitate constituunt, non intelligere hoc de Charitate Theologica nudè & absolutè sumpta. Primò: quia ipsi iustos etiam, qui tales sine Charitate Theologica esse nō possunt, iuxta eorundem sententiam, incitant ad perfectionem consequendam: deinde, quia aliqui eorum, qui ex professo aliquid de perfectione scripserunt, clarissimè testantur, eam non in quacunq; charitate Theologica consistere. Audiamus aliquorum ex illis testimonia.

S. August: in Epist: 1. S. Ioan: Tract: 9. sic ait: *Nunquid mox vt nascitur Charitas iam perfecta est? vt perficiatur, nascitur; cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur; cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: & Optabam dissolui, & esse cum Christo.* Idem lib: de spiritu & litera, triplicem docet esse Charitatem Theologicam: Incipientem, quæ in iustificatione infunditur: Proficientem, quæ ab eo tempore vsque ad vitæ occasum operatur: Perfectam, quæ post hanc vitam in patria consummatur. Tractatu verò 5. in Ioan: easdem Charitates aliter expli-

cat, & cum eo D. Thom: 2. 2. q. 24. a. 9. & alij Scholastici. Incipiens est, quæ vitijs & tentationibus primum irruentibus, omni animi conatu repugnat. Proficiens verò, quæ magna ex parte superatis vitijs, virtutibus acquirendis tota incumbit. Perfecta demùm, quæ quietem assecuta, profligatis tentationibus periculosis, adeptaq; facilitate ad actus virtutum exercendos, amori diuino, ac cælestium rerum commentationi, arduisq; ad Dei gloriam facinoribus subeundis feruenter intendit. Deniq; idem S. August: lib: 80. qq. q. 36. illam Charitatem ait esse perfectam, & in ea perfectionem consistere, quæ omni caret cupiditate: *Charitatis*, inquit, *venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum tēporalium; nutrimentum eius est imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.* Similia habet D. Bernar: *Serm*: 2. de Festo S. Michaëlis. Itaq; ex sententia horum trium SS. tunc Charitas est perfecta, quantum in hac vita esse potest, quando ablatâ inordinatâ passionum cupiditate, expedita est ad exercitium suarum actionum; quando scilicet exercitio virtutum ita minuitur inordinatio passionum, vt iam non sit impedimentum vllum ex his, quæ à corpore mortali fieri possunt; in quo scilicet statu quamuis aliqua peccata venialia, ante plenam aduertentiam rationis oriantur, tamen ex plena consideratione non admittuntur, quia non sunt passiones inordinatæ, quæ superent talis Charitatis inclinationem.

Tres igi-

Tres igitur secundùm hos Sanctos, gradus seu status, possunt conuenire Charitati in hac vita. 1. Ex quo inordinatio passionum nondum est diminuta per consuetudinem virtutum contrariarum. Et hæc Charitas, seu status illius, est incipiens, & iustorum incipientium. 2. Quando ea inordinatio passionum notabiliter est diminuta, non tamen extincta, eò modo, quò in hac vita mortali extingui potest: & tunc Charitas est proficiens absolutè, & status iustorum proficieutium absolutè. 3. Quando inordinatio, seu inclinatio passionum, per contrariam honestam consuetudinem, maxima ex parte iam exarmata est, & compressa: & tunc Charitas est perfecta absolutè, quantum in hac vita esse potest, hoc insuper, (affirmante D. August: l. c.) efficiens, vt homo quantumuis sit perfectus, existimet se longè esse à perfectione, & dilectione, quæ Deo debetur.

D. etiam Thomas in Opusc: 18. de Perfectione, *cap: 3. 4. & 6.* tractans hanc eandē quæstionem: an Charitas Theologica sit perfectio nostra, docet non omnem sibi hoc nomen vindicare posse. *Sunt enim eius,* inquit, *gradus 4. Primus gradus est, diligere Deum quantum in se potest diligi, atq; adeò amore infinito. Hæc Charitas perfectissima est; sed soli Deo tantùm competit. Secundus est, diligere Deum, quantum creatura potest eum diligere, vt de eo semper actu cogitet: in eum sine intermißione per affectum feratur, & ne primos quidem motus contra*

Deum sentiat. Hæc Charitas perfectissima est; non tamen competit viatoribus, sed beatis: & ad hoc alludens, Apostolus dicebat ad Philip: 3. *Non quòd iam acceperim, aut perfectus sim: quia scilicet talem Charitatem non habebat. Tertius gradus est, cuius mentionem fecimus* cap: 11. *diligere videlicet Deum, vt nihil æquè aut magis, quàm Deum quis diligat; & hic reperitur in omnibus iustis etiam imperfectis. Quartus & vltimus; diligere Deum modo explicato paulò ante in 3. gradu,* ex sententia D. August: &c. *ita tamen vt iam à se remouerit creatura rationalis omnia diuini amoris impedimenta, & totam se Dei obsequio consecrârit: & hæc Charitas perfectissima est in hac vita.* Venerabilis Beda in Psal: 36. initio, sic de eadem re scribit: *Sunt in Corpore Christi duo genera: scilicet perfectiores boni, & minus perfecti, quos charitate distinguit, maiore & minore.* D.Bernard: Serm: 19. in Cantica, docet: *Iustas animas quasdam esse adolescentulas, quæ prout capiunt diligunt: quasdam esse sponsas Christi, id est perfectas, quæ plus diligunt; quem amorem de diligendo Deo, vocat montem, & montem Dei excelsum.* Rupertus quoq; lib: 6. in Cant: Cantic: 6. *quasdam animas iustas,* asserit *concubinas esse, quasdam verò Reginas. Priores sunt, quæ licet ament Deum amore beneuolentiæ, tamen non sunt eius perfectionis, vt supra præceptum velint addere consilium, scilicet hoc, vt relictis omnibus, solum sequantur hunc dilectum; habentes quidem in fundamento Christum, sed nihilominùs amantes aliqua quæ huius mundi sunt. Posteriores verò illæ sunt, quæ perfectæ Charitatis sunt, in*

eo vide-

eo videlicet; quod eundem dilectum sequentes, nihil terrenum, sed ipsum solum quærunt: nec propter metũ gehennæ, sed propter amorem vitæ æternæ peccatum fugiunt, virtutemq; amando, iniquitatem oderunt. Origenes Hom: 2. in Cant: Cant: fol: 1. explicãs illud Canticorum, secundùm versionem 70. *Rectitudo dilexit te*, eam Charitatem nomine perfectionis nobilitat, quæ in nos omnem puritatem inferat, omnem æquitatem afferat, & nullam iniquitatem admittat. Denique Clemens Alexan: lib: 7. Stromatum, virum perfectum depingens, ab eo non nudam Charitatem, sed malorum tolerantiam, virtutum exercitationẽ, rerum terrenorum contemptum; & in cura aliorum, mentem à Deo, vt vidimus, indiuulsam, requirit.

CAPVT XIV.

Perfectionem non consistere in Charitate Theologica, in aliquo certo gradu Physico intensionis.

POsset quis existimare, & fortè non defuerunt aliqui de facto, qui senserunt perfectionem consistere in Charitate Theologica, in aliquo certo augmento, seu certo gradu intensionis Physico, hoc est reali; v.g. in Centesimo, vel in aliquo alio; maximè ita, vt ei amplius non possit addi aliquid in hac vita: seu, perfectionem consistere in Charitate Theologica in-

diuidua

diuidua omnino, & veluti in puncto aliquo consistente.

Verùm hoc dici non potest. Primò: Quia oppositum docet D. August: vt de eo testatur Prosper sententia 102. & D. Thom: 2. 2. q 24. a. 8. Sed & ipse Prosper ex propria sententia videtur hoc indicare, cùm ait: *In hac vita, quæ tota tentatio est, etiam in sublimissimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio.* Secundò. Quia S. Scriptura non constituit perfectionem in tali augmento. Tertiò. Quia magna est perfectionis latitudo, & nō omnes perfecti, æqualis sunt perfectionis, quod his verbis docuit Cassianus Collat: 11. c. 12. *Nec enim poterat vniformis omnibus perfectionis corona proponi, quia nec omnibus vna virtus, aut voluntas, aut feruor est; & idcirco ipsarum quodammodo perfectionum, diuersos ordines, diuersasq́ mensuras, sermo diuinus instituit.* Quartò. Docent Theologi, 2. 2. q. 24. posse in aliquo viatore esse intensiorem Charitatem, quàm sit in aliquo comprehensore, qui tamen fuerit perfectus in hac vita, licet hic viator nondum adeptus sit perfectionem huius vitæ. Quintò, cum quocunq; certo gradu intensionis physico Charitatis, possunt in hac vita stare, cupiditas, passiones inordinatæ, & vitia; nullam enim hæc habent repugnantiam cum Charitate & intensione illius. Atqui perfectio non potest cum his stare, vt vidimus, & videbimus infra. Sextò: difficilè homines possent

cogno-

cognoscere, quis perfectionem sit assecutus, vel assequatur. quis enim illum certum gradum physicum intensionis, v. g. centesimum, imò & quemcunq; alium potest cognoscere? Septimò: quia potest Charitas augeri in hac vita in infinitũ, vt docetur 2. 2. q. 24. Ergo perfectio, &c.

Vtilissimum est nihilominùs ad perfectionem consequendam, Charitatem in hac vita per actus, tum ipsiusmet Charitatis, tum aliarum virtutum ab ipsa imperatarum, augere. Primò, quia ita docet S. Scriptura. Legimus Eccl: 18. *Ne verearis iustificari vsq; ad mortem*: loquitur autẽ non de prima iustificatione, qua quis ex inimico Dei fit amicus; sed de secunda, quæ fit per augmentum iustitiæ, id est gratiæ & Charitatis. Apoc: 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, &c.* Ad Ephes: 4. *Virtutem facientes in Charitate crescamus.* Ad Philip: 1. *Vt Charitas vestra magis ac magis abundet.* Secundò. Quia ita docent SS. Patres. Vidimus præcedenti capite testimonium D. Aug: ex Tract: 5. in Epist: 1. Ioan: *Nunquid Charitas mox vt nascitur, &c.* Tertiò. Quia quò maior est alicuius Charitas in intensione, eò maior quoq; illi debetur gloria in altera vita, vt docent Theologi, cum D. Tho: 2. 2. q. 24. a. 4. 5. & 6. Quartò. Quia quò Charitas est intensior, eò magis inclinat hominem, tum ad actualem amorem Dei, tum ad tollenda impedimenta amoris diuini, & aliarum virtutum. Deniq; etiam ad exercitium aliarum virtutum

impellit. Quintò. Quia ideo Magistri spirituales exhortantur ad exercendos & continuādos actus Charitatis. Sextò. Quia cùm virtutes omnes sint media ad perfectionem acquirendam, vt infra videbimus, & Charitas sit præstantissima omnium virtutum, & Regina; erit ipsa etiam inter omnes virtutes præstantissimum medium, ad eandem perfectionem consequendā. Septimò. Quia negari non potest continuatione & intensione Charitatis, posse acquiri ipsam perfectionem.

CAPVT XV.

Qualis Charitas Theologica iudicio SS. Patrum, est perfectio in hac vita?

RESpondeo. Illa quæ in quocunq; gradu intensionis habet hunc statum, vt remouerit à creatura rationali omnia, vel maxima ex parte, impedimenta amoris diuini, id est inordinationem passionum, peccata & vitia, virtutumq; omnium subsidium, pro virili accersiuerit: seu quæ ablatâ inordinatâ passionum cupiditate, expedita est ad vsum suarum actionum. Patet hoc manifestè ex *cap*: 13. Perfectio igitur essentialiter totaliter, iuxta SS. Patres, erit Charitas Theologica, seu amor beneuolentiæ supernaturalis erga Deum, connotans priuationem inordinationis passionum, peccatorum ac vitiorum, & virtutum omnium pro virili ac-

quisitio-

quisitionem; ita vt essentialiter in recto, & principaliter dicat, Charitatem Theologicam, in obliquo verò reliqua, nimirum priuationem, seu sublationem inordinationis passionum, peccatorum ac vitiorum, & pro virili virtutũ omnium acquisitionem. Et hæc est definitio perfectionis secũdùm SS. Patres, vt patet ex *cap:13.* imò & secundùm multos Theologos.

Idem alij dicunt, hoc modo definientes perfectionem: *Perfectio est amor beneuolentiæ supernaturalis erga Deum, qui perfectè mala abiecit, & perfectè bonum sectatur.* Denique alij: *Perfectio est Charitas Theologica, non afficiens, id est, quæ in solo affectu tenero & dulci consistit, sed efficiens; quæ scilicet mouet hominem, & efficit in eo vitiorum extirpationẽ, & virtutum acquisitionem, seu qua efficaciter omnia aduersa sibi arcet, & vniuersa virtutis opera feruenter exercet, & nostram mentem Deo iungit.* Sed prior definitio melior est & clarior.

Et huic Charitati sic acceptæ, & non alteri, conueniunt quædam illæ excellentiæ, quas aliqui SS. Patres, si nudè tantùm verba illorum spectemus, absolutè attribuũt Charitati Theologicæ, & ponunt inter laudes illius, quæ verè & propriè soli perfectioni, vel Charitati habenti statum explicatum, competunt. D. Aug: lib: 15. de Trinit: cap: 18. agens de Charitate: sic habet: *Nullum est isto dono Dei excellentius: Perfectio namq; excellentius est donũ Charitate nudè sumpta, vt per se patet.* Et de verbis Domini, Serm:

50. c. 2. & 3. *Quale bonum est Charitas ista Fratres? Quid pretiosius ea, quid luminosius? quid firmius? quid vtilius? quid securius?* Et D. Chrysost: Homil: de Fide, Spe, & Charitate: *Quid Charitate sublimius esse poterit?* Et Homil: 33. in 1. Cor: 13. ante medium, postquam multa in laudes Charitatis dixit, subiungit tandem: *quòd Charitas hominem, non amplius hominem, sed Angelum constituat. Vidisti,* inquit, *quemadmodum Charitas suum alumnũ paulatim faciat Angelum? Quando enim fuerit ab ira remotus, & ab inuidia mundus, & liber ab omni Tyrannicâ animi perturbatione, traductus est etiam ad ipsam animi impatibilitatem.* Quæ omnia Charitati, non nudè secundùm essentiam sumptæ, sed statum explicatum habenti, conueniunt. Hanc etiam existimant aliqui intellexisse Apostolum, cùm dixit ad Colos: 3. Charitas est *vinculum perfectionis*; non quia accidat perfectioni, & extrinsecũ sit quid illi, sed quia ipsa tanquam radix conseruat ea omnia, quæ efficiunt perfectionem, scilicet virtutes; vt indicat D. Chrysost: Hom: 7. ad Colos: *quòd nonnisi Charitati perfectæ competit.*

Sciendum est tamen, cùm Apostolus dixit: *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculũ perfectionis.* Primò, loquitur propriè de Charitate actuali, seu de actu Charitatis, vt patet ex ipso contextu. Secundò; Nomine perfectionis propriè, non videtur intelligere simpliciter & absolutè perfectionem, sed integritatem, seu omnes virtutes; nam de virtutibus supra paulò

ante locutus fuit: *Viſcera miſericordiæ, benignitatē, humilitatem, modeſtiam, patientiam, &c.* Quæ omnes breui diſſoluuntur, niſi adſit Charitas, quæ illas colligat. Ita D. Chryſoſt: loco citato, & Homil: 8. Alij explicant, dici Charitatem vinculum perfectionis Tropo Hebræo, id eſt, vinculum perfectum, & indiſſolubile; iuxta illud: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?* Rom: 8. Probabilior eſt tamen prior explicatio: Quia Charitas omnes virtutes colligit & continet, & propterea dicitur, *benigna eſſe, omnia credere, omnia ſperare*, 1. Cor: 13. Propterea & S. Proſper de vocat: gent: lib: 2. c. 11. aſſerit: *in Charitate eſſe omnium ſummam donorum, & quandam cunctarum vitam virtutum.*

CAPVT XVI.

Expenditur vltima ſententia de Perfectione, & tandem quid ſit illa, concluditur.

NOn defuerunt viri ſpirituales, & Theologi ſcholaſtici, qui indagantes naturam, ſeu integram ſubſtantiam perfectionis, ſic eam definiuerunt: *Perfectio eſt aggregatio omnium virtutum, ſeu conflatum quid ex depulſione omnium vitiorum, & ex omnium virtutum cœtu.* Colligi hoc poteſt etiam ex D. Thom: 2. 2. q. 184. a. 1. ad 2. Et fortaſſe idem etiam indicat D. Chryſoſt: Homil: 7. ad Coloſ: cùm diſertè affirmat, *virtutes in radice Charitatis perfectionem efficere*; quaſi dice-

re velit: Omnes virtutes constituunt perfectionem, vnà cum Charitate, tanquam radice: quia scilicet illa principaliùs hoc facit, quàm cæteræ virtutes, quas etiam conseruat.

Et quanquam, inquiunt isti, virtutes omnes, iuxta sententiam communem Theologorum, & SS. Patrum, sunt media & instrumenta ad perfectionem, vnde videtur sequi, virtutes non constituere naturam ac substantiam perfectionis: illud tamen non intelligitur de virtutibus quocunq; modo acceptis, sed de virtutibus quatenus sunt in vsu, seu de exercitio virtutum. Virtutes enim quoad exercitium, seu exercitia omnium virtutum, sunt media ad perfectionem. Ipsæ verò virtutes, in esse acquisito, seu in esse suo, constituunt essentialiter integram substantialem naturam perfectionis, Charitas tamen magis principaliter. Est enim, inquiunt, perfectio fons, cuius principium est Charitas; virtutes reliquæ riuuli, qui à Charitate promanant. Totum quoddam est, seu corpus, cuius caput est Charitas, virtutes aliæ reliquas partes & membra constituunt. Thesaurus animæ est, cuius præcipua gemma, est Charitas, & virtutes reliquæ in suo gradu ad thesaurum pertinere noscuntur. Sanitas est, cuius nobilissima vis est Charitas, quæ à vita mentis, nempe à gratia procedens, potentiarum Dominam, nimirum voluntatem rectificat, aliæ verò virtutes tanquam huius sanitatis

partes,

partes, vel reliquas potentias sanãt, vel propter alios actus, ab amore distinctos, ipsam voluntatem afficiunt. Iure igitur inquiunt Perfectio, dicitur esse conflatũ quid ex omnibus virtutibus.

Ita isti de perfectione. Et si rem spectes, non naturam definitionis vniuscuiusq; rei, iuxta regulas Philosophorum, non malè, idem enim fermè dicunt, quod SS. PP. & Theologi scholastici, quos cap: præcedenti, recensuimus. Dixi: si non naturam, &c. Perfectio enim est Ens per se, & de ea tanquam de ente per se, loquuntur & S. Scriptura, & SS. Patres, & Theologi scholastici, & Magistri spirituales.

Iam ergo concludimus tandem ex nostra sententia, quam nonnisi ex mente SS. Patrum, & maiori parte Magistrorum spiritualium, ac deniq; Theologorum scholasticorum accipimus: Perfectionem scilicet, quæ nostræ tractationis argumentum est, & ad quam obtinendã in hac vita, ex peculiari consilio Dei, & vocatione nostra religiosa tendimus, esse Charitatem Theologicam, seu amorem beneuolentiæ supernaturalem Dei, qui in quocunq; gradu intensionis in tali statu ac termino est, vt ablatâ inordinatâ passionum cupiditate, & vitijs, expeditus sit ad vsum suarum functionum, & exercitium omnium virtutum.

Et hoc ipsum esse perfectionem, constat inde euidenter. Primò, quia quotquot sancti & perfecti fuerunt in Ecclesia Dei, & pro tali-

bus habebantur, vt S. Petrus, Paulus, Stephanus, Laurentius, Hieronymus, Augustinus, Franciscus, Dominicus, Benedictus, Bernardus, Ignatius, & omnes alij (siue ad sexum masculum, siue ad fæmineum pertineant) ideò tales fuerunt, & pro talibus habebantur, quia tali Charitate Theologicâ, qualem explicuimus, præditi fuerunt. Secundò, quia non potest statui aliud, neq; enim iam modus superest, quo ista perfectio scripturis & PP. SS. conformiter explicari possit. Tertiò, quia sic acceptæ perfectioni, omnia nomina & tituli ac proprietates perfectionis, quas vidimus cap: 3. conueniunt. Hæc enim perfectio sic accepta, est sanctitas hominis absoluta & perfecta, quia præsupponit gratiam sanctificantem, eo ipso quòd includit Charitatem Theologicam, & aliam illi puritatem superaddit, nimirum sublationem seu exclusionem omnis imperfectionis, prout in hac vita fieri potest: hæc, eadem est perfectio simpliciter, absolutè, & per se; nam & propter eam homo, plenè in oculis Dei est perfectus, & ipsa ad nullam aliam perfectionem, in hac vita consequendam ordinatur: hæc perfectio sic accepta est mons altissimus, propter sublimitatem & fastigium, nulla enim datur perfectio ordinaria, quæ hominibus conueniat, sublimior ipsâ, ita vt verissimè possimus affirmare illud de ea, quod dicebat D. Bernard. Sermo: de monte ad suos religiosos. *Altissima hæc est perfectio nostra, quæ*

cœlos tranſgreditur , & Angelis eſt æqualis , & ſimilis Angelicæ puritati. &c. per hanc perfectionem homo fit ſimilis Deo, & per eam viuit perfectè ſubſtantialiter, ſpiritualiter, ſupernaturaliter; hæc eſt præcipuè æmulatrix vitæ illius cæleſtis beatorum: huic conuenit eſſe virtutem perfectiſſimam, cùm includat Charitatem Theologicam, quæ eſt principalis virtus, & omnes alias: hæc euehit homines in arctiſſimam Dei amicitiam, eſt enim perfectiſſima amicitia, quæ poteſt haberi in hac vita hominis cum Deo: hæc eſt culmen ſeu vertex totius fabricæ ſeu vitæ ſpiritualis, hæc pellit omnem peccati obſcuritatem ex anima, & frigus vitiorum, ac cùm veluti ſol quidam ipſam illuminet, non immeritò vocari poteſt, ignis ſplendidiſſimus & ardentiſſimus: hæc eſt finis omnium noſtrarum actionum, propterea enim quæcunq; agimus vel facimus, agenda aut facienda eſſent, vt hanc ipſam perfectionem aſſequi valeamus; acquiritur autem per plenam & abſolutam ſuiipſius abnegationem, & exercitium omnium virtutum: ad hanc homines à Deo inuitantur, maximè verò Religioſi; & nos cùm in Societatem Filij Dei, in brachio excelſo, Ægypto educti, allecti & tranſportati fuimus: quæ Societas etiam adeò eam ſuis filijs comendatam eſſe voluit, & neceſſariam exiſtimauit, vt tertiam quandam probationem inſtituerit, in qua ſtudiorum emenſo curriculo, per variarum virtu-

tum exercitia, tanquam gradus, ad perfectionis huius fastigium ascendere conarentur. hæc item perfectio est in potestate nostra, vt cum auxilio diuino acquiratur, neq; præcepta est omnibus, & notio ipsius non est obscura, & nobis ignota. Deniq; hæc absoluta est beatitudo hominis in hac vita. Quæ omnia cùm non conueniant alijs supra reiectis à nobis, à ratione perfectionis, sed soli Charitati Theologicæ in tali statu modo explicato, proinde hæc ipsa & sola est perfectio huius vitæ, quam inquirimus. Quartò & vltimo: Cùm perfectio iuxta Philosophos ac Theologos, maximè D. Thom: 1. p. q. 4. a. 1. illud sit, *cuius causa rei perfectæ nihil deest, secundùm modum suæ perfectionis, seu nulla deest debita virtus, nobilitas aut excellentia*: hoc verò conueniat nostræ perfectioni: sequitur ipsam sic explicatam, esse simpliciter perfectionem.

Ex dictis hæc breuiter colligimus. Primò, perfectionē non discerni seu non distingui essentialiter à Charitate Theologica in ratione Charitatis, quasi aliam Charitatem essentialiter dicat. Vna enim est tantùm essentialiter Charitas Theologica, vt docent Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 23. sed tantùm accidentaliter discerni, cùm non aliud addat Charitati perfectio, quàm ablationem impedimentorum, id est peccatorum, vitiorum, & inordinationum, quæ à passionibus oriuntur; & acquisitionem virtutum, quæ omnia accidunt Charitati,

integram tamen cùm ea constituunt perfectionem. Secundò, Charitatem Theologicam perfectorum hominum, perfectiorem esse in ratione indiuiduali peculiari, quàm sit iustorum imperfectorum, non dissimili modo, sicut docent SS. PP. & Theologi, 2. 2. q. 24. *Charitatem beatorum esse perfectiorem Charitate viatorum*, scilicet in ratione indiuiduali: explicant enim SS. Patres & Theologi hanc maiorem perfectionem Charitatis in patria, per carentiam omnis peccati mortalis & venialis, & per maximam firmitatem huius dilectionis. Tertiò, perfectionem absolutam huius vitæ, non consistere in hoc, vt iam sine peccatis venialibus, omninò perfectè lex diuina impleatur; seu non consistit in exclusione omnis peccati venialis, cùm hoc non sit præsentis vitæ, nec talis perfectio Charitati in hac vita conueniat; sed illi quæ erit in beatitudine, vt definitum est in Concilio Mileuitano cap: 6. 7 & 8. & in Trident. Sess: 6. c. 11. & Can: 23. vbi sola B. Virgo excipitur, propter priuilegium ei concessum; & docet D. Augustinus lib: de Spiri: & liter. cap: vlt. Vnde lib: 1. de Doctr: Christian: cap: 3. concludit, *Nullã esse perfectionem in hac vita, quæ sit æqualis cum perfectione alicuius Sancti in beatitudine.*

CAPVT XVII.

Deus primus auctor Perfectionis, & peculiari quodam modo.

Nemini

NEmini potest esse dubium, Deum ipsum supremum rerum omnium creatorem, perfectionis huius, quæ creatum quid est, primum authorem esse, & quidem non eo modo, quo cæterarum rerum naturalium, sed peculiari, id est præstantiori, videlicet authorem & donatorem supernaturalem; cùm eam non ex vlla necessitate, sed ex mera liberalitate, viribus supernaturalibus, vt agens supra naturam, causet ac donet, & modo magis peculiari eam, quàm alias res supernaturales, auxilio & gratiâ sua efficiat. & hoc indicare volens S. Ambros: l. 2. de Pœnit: dixit: *Non posse sine fauore Dei, scilicet peculiari, aliquem esse perfectum.*

Si enim omne donum perfectum, teste S. Iacobo, c. 1. *peculiari modo de sursum est, descendens ab hoc patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicißitudinis obumbratio*; quantò magis & peculiari modo hoc donum, quod perfectissimum est, sublimissimum, & præstantissimum, ac supernaturalissimum, nimirum perfectio? quæ nulli vitio subiacet, & omne virtutis bonum habet, & omnia dona in se includit, & veram ac absolutam mentis puritatem retinens, collum in omnibus diuinæ voluntati submittit.

Etsi Charitas Theologica secundùm se, teste Apostolo ad *Rom*: 5. quæ scilicet facit nos Deum diligere propter se, & constituit iustos amatores Dei, vt docet D. August: super eadem verba Apostoli, nonnisi *à Spiritu S. infunditur in*

corda nostra, & illius est proprius effectus: multò magis id dici debet de perfectione, quæ eandem Charitatem in se continet, & modo quodã eminentiori; deniq; omnes virtutes sub se recipit, & amplectitur, vt vidimus. Opus certè magnopere habet gratia Dei, arbor hæc pulcherrima & fortissima perfectio, indiget non solùm sollicita cura patrisfamilias, sed cælesti etiam calore & rore desuper, vt irrigetur ac foueatur necesse est.

Omnis sapientia à Deo est, inquit Ecclesiastes, c. 1. quo modo loquendi, indicat Deum peculiari modo authorem esse sapientiæ, & hanc præcipuo quodam modo ab ipso pendere; igitur & perfectio ab eodem est, & potiori iure, quia præcipua est inter sapientias, imò sapientiæ cõsummatio. Hoc elogio sapientiæ ornant diuinæ literæ perfectionem. *Sapientiam*, ait S. Paulus, 1. Cor: 2. *loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, neq; principum huius sæculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in Mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Ac si diceret: Imperfectis, & incipientibus ambulare vias Domini, initia sapientiæ proponimus, & perfectionis rudimẽta prædicamus ijs, qui necdum sunt sublimioris disciplinæ capaces; at perfectis & ex consuetudine virtutis vias spirituales terentibus, non iam exordia sapientiæ, sed occulta & abscondita perfectionis & sanctitatis loquimur, & auri-

bus idoneis ad audiendum ingerimus. Prædicamus, inquit, illis ſapientiam, non huius ſæculi rationibus innitentem, neq; Principum aut Sapientum huius ſæculi ratione cõſtantem, qui doctrinâ Spiritus obruuntur, ſed potius Dei ſapientiam, cuius Deus ipſe eſt Magiſter, Author & Doctor, quam per viros ſpiritu ſuo afflatos edocet, & ſanctis ac iuſtis mẽte intelligendam, & affectu ac opere amplectendam, proponit: hanc prædicamus abſconditam, & veluti inuolutam in myſterio Incarnationis, vitæ ac Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti, præparatam ante ſæcula ad glorificationem noſtram; quia perfectio nihil aliud eſt, quàm imitatio Chriſti, cùm ipſe ſit, quem miſit Pater in mundum, vt eſſet nobis totius virtutis & ſanctitatis exemplar, vt videbimus infra. Eſt igitur perfectio ſapientia, & præcipua ſapientia, ac proinde à Deo, quo nomine eam etiam Scriptura toto libro Sapientiæ inſignit, vbi ſub Sapientiæ nomine perfectionem intelligit, & perfectam virtutem tractat, ad ipſius amplexum nos inuitans, ipſius pulchritudinem ac præſtantiam exponit. Hæc namq; perfectio, & omnem perfectam virtutem complectitur, vt vidimus, & perfectè homines ſapientes facit, partim adducendo eos ad infinitam ſapientiam, & ei vniendo; partim à ſtultitia ſæculi, & inſipientia mundanorum, educendo, eſt proinde perfecta ſapientia, imò maxima ſapientia. Præclarè hoc D. Hieron: in

c. 1. ep: ad Gal: *Perfecta*, inquit, *sapientia, est perfecta virtus.* A Deo igitur peculiari modo ortum suum habet perfectio.

Accedit & illud, quod natura nostra propter corruptionem, in quam per peccatum incidit, magna ex parte perfectioni repugnat & obsistit, virtutis consilia fugit & abhorret, vbique seipsam quærit, & propensiones longè dissitas à virtute, imò contrarias ipsi habet. Indicant id illa Scripturæ Sacræ testimonia: ***Sensus & cogitationes humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua***; Genes: 8. Et, ***Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; hæc enim inuicem sibi aduersantur, vt non quæcunq; vultis illa faciatis***; ad Galat: 5. Item: ***Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere***; Sapiens Eccl: 18. Illud quoque: ***Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*** Et alia his similia alibi. Quomodo ergo à nobis ipsis perfectionem sperare poterimus, & non ab ipso Deo, idque peculiari quodam modo, vt scilicet ille ipse naturam nostram corruptam sanet, & cor nouum, ac spiritũ rectum in eius visceribus innouet.

Sed præterea perfectio plurima, vt vidimus, requirit, eaq; sublimia, & quæ omnia pendent à supernaturali gratia Dei, cùm natura insufficiens ex se sit ad ea, nimirum ad delendum peccatum, passiones domandas, deniq; virtutes in excellenti gradu comparandas, quas antece-

dere debet prima iustitia, quæ etiam peculiare donum Dei est; peculiari igitur modo erit quoque ista perfectio à Deo.

Intellectus etiam noster ad cognoscēdam & penetrandam perfectionem, media & impedimenta, ex se est cœcus. Luce igitur supernaturali indiget, maximè verò vt apicem perfectionis contueatur, & obtineat. Vt filij Israël terram promissam ingrederentur, columnam nubis protegentem & illuminantem habebant, quæ illos in eum locum ducebat; *Exod:13.* Vt Magi Christum inuenirent, stella præcessit, *Matth:2.* igitur vt perfectionem etiam quæramus & acquiramus, lumine supernaturali indigemus. Et certè si ex testimonio S. Pauli, 2. Cor: 3. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobis*, bonum scilicet pertinens ad salutem nostram, *sed sufficientia nostra ex Deo est*; quantò magis non erimus sufficientes, cogitare à nobis, vt simus perfecti, & omnis nostra sufficientia, vt perfectionem cognoscamus, quæramus, & acquiramus, à solo Deo erit?

Iam voluntas, cuius potentiæ operatio, & quidem multiplex requiritur ad perfectionem, quanta motione cælesti indiget, & roboratione, vt velit, & efficaciter velit, omnia impedimenta quæ à passionibus obijciuntur, & ab obiectis sensuum, carnisq; illecebris exoriuntur, & deniq; ab hostibus generis humani obtrudūtur & ponuntur, fortiter remouere, & penitus

auferre?

auferre? Certè non volentis hoc est aut currentis, sed Dei miserentis. Imò vt velimus, Deus solus hoc præstat, vt docet D. Aug: lib: 1. ad Simpl: *Quia solus ille*, inquit, *præstat, bene agere, & semper beatè viuere*. Et Innocent: 1. apud Aug: ep: 93. *In omnibus*, inquit, *diuinis paginis, voluntati liberæ nonnisi adiutorium Dei legimus esse nectendum, eamq; nihil posse cælestibus auxilijs destitutam*. Voluntas igitur, quæ ex gratia Dei volet perfectionē quærere, nonnisi in eodem etiam Deo, id est, eius peculiari auxilio adiuta, *transgredietur murū*, vt ait S. Propheta, *Psal: 17*. id est, vincet omnes difficultates, & *omnia poterit in eo qui eam confortat*; vt de se loquitur Apostolus ad *Philip*: 4.

Tandem necessaria est ad conseruationem perfectionis perseuerantia, ne scilicet postquam eam homo longo labore acquisierit, amittat, & in pristina mala grauiore casu relabatur; ac vt ait dolens S. Propheta Hieremias, Thren: 4. *Stercora amplectatur, qui ante nutriebatur in croceis*. Perseuerantia autem nō est debita perfectioni, neq; cum ea necessariam habet connexionem, vnde vt videbimus *cap*: 46. non pauci sanctissimi viri à perfectione exciderunt.

Ex his colligitur, Neminē perfectionem adipisci posse, sine singularibus & multiplicibus Dei auxilijs & gratijs, ad quas dandas Deus non obligatur. *Si enim gratiæ sunt, iam non ex debito sunt*; vt frequenter loquitur S. August. Fateamur igitur ingenuè, Deū esse peculiari mo-

do authorem perfectionis, qui nisi hominibus etiam iustis adsit, eximioq; fauore ac protectione, peccandi occasiones auferat; libidinis impetus frangat; dæmonis artes detegat; illecebras sæculi comprimat; passionum atq; affectionum motus inordinatos, & vim coërceat; tentationum molestias propulset; illustrationes diuinitùs immittat; animum ardentibus desiderijs accendat; labilem & nimis mutabilem voluntatem firmet; occasiones exercendæ augendæq; virtutis præbeat: certum nimis est, neminem hominum perfectionem vnquam acquisiturum.

CAPVT XVIII.

Deum esse Exemplar, & Ideam Perfectionis.

ARchitectus, qui nobile aliquod ædificium seu fabricam, palatium videlicet aliquod, vel domum Regi alicui exstruere molitur, Ideam vt in mente sua concipiat & habeat, necesse est. Idea enim est vna ex causis operis artificiati, quæ artificem dirigit in opere. Similiter pictor, qui pulchram & elegantem imaginem vult coloribus & penicillo exprimere, ad exemplar imaginis, seu prototypum quod imitatur, oculos conuertat oportet. Perfectio de qua loquimur, est nobilissimum ædificium, quod Regi sæculorum in hac vita ædificatur, vt vidimus

ſupra, eſt præterea imago elegantiſſima, imago inquam, ſimilitudinis Dei, qua plurimùm oblectatur Monarcha cælorum. Vt ergo & ædificium hoc, & imago hæc, talis ſit qualis eſſe debet, qui perfectionem ſectatur, ante oculos mẽtis Ideam illius, Exemplar, & Prototypum habeat oportet, in quod oculos quàm ſæpiſſimè conuertat, vt ad viuum quantum poteſt exprimat. Sed quænam erit hæc Idea, aut quod hoc exemplar perfectionis?

Chriſtus Dominus Magiſter & Doctor omnis perfectionis (quam vt potiſſimùm doceret homines, verbo & exemplo, deſcendit de cœlo) qui cupidus noſtræ perfectionis, ne quid nobis ad plenam illius conſecutionem deeſſet, propoſuit etiam Idæam & Exemplar perfectionis, Deum ſcilicet & Patrem ſuum, ac noſtrum cœleſtem. Id clarè indicant illa verba ipſius, quibus nos exhortatur ad perfectionẽ, Matth: 5. *Eſtote ergo perfecti*; & ſtatim addidit: *Sicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* quaſi dicere vellet: Filiorum eſt non ſolùm artes & exercitia, ſed etiam mores & actiones, ac modum agendi parentum imitari; & tales eſſe omninò, quales ſunt parentes; præſertim ſi à ſanctitate ac probitate vitæ ſint cõmendati. Cùm ergo Deus Pater veſter cæleſtis perfectus ſit, vos quoq; qui filij eius eſtis, filij ſcilicet per gratiam, ac ſpiritus adoptionem, & filij chariſſimi, vt ait Apoſtolus ad *Eph*: 5. talem perfectionem in hac vita conſe-

ctemini, qualis est in Patre vestro cælesti, & eam ad viuum, quantum possibile est homini, exprimite: hæc enim perfectio Dei, quæ summa est, erit vobis Idea & Exemplar.

Esse verò perfectionem in Deo, & talem quæ sit Idea ac Exemplar nostræ perfectionis, certum est & indubitatum fide Catholicâ. Deus enim noster perfectissimus est. Perfectissimũ autem à summa perfectione tale est. Si enim illud dicitur vniuersaliter perfectum, vt vidimus c. 16. cui nulla alicuius generis deest virtus, nobilitas aut excellentia: & in Deo nulla horum secũdùm omne genus desiderari possit, quippe qui est virtus tota, imò infinita & vniuersalis essendi: Deus absolutè & infinitè perfectissimus est, & perfectio illius infinita erit. Cùmq; ab eo vniuersa creata pendeant, ac proinde & perfectio nostra, omnia in eo contineantur necesse est, & perfectiori modo ac eminentiori, quàm in se sint, seu quàm in rebus creatis reperiantur. Perfectio igitur Dei continet & complectitur omnem nostram perfectionẽ, vnde & exemplar illius meritò dici potest. Sicut enim denarium ex cupro ignobilem, in nummo argenteo, & hunc in aureo reperiri certum est: ita perfectionem hanc creatam in Deo, & excellentiori quodam modo quàm in nobis, inueniri est prorsus indubitatum. Doctissimè & piissimè id indicat D. Aug: Soliloq: cap: 37. *Apud te Domine, omnium stabilium sunt causæ, & omnium*

mutabili-

mutabilium apud te immutabiles manent origines, & omnium rationabilium & irrationabilium, atq; temporalium sempiternæ viuunt rationes. Hæc ille. Sed Deum esse nobis exemplar, clarissimè docet S. Greg: Nissen: in Oratione Dominica: *Deus,* inquit ille, *rectè agentibus ad imitãdum propositus est.*

Homo igitur cùm propriam sibi perfectionem vult assequi, perfectiones Dei imitari debet, illas scilicet tantùm, quæ sunt Idea ac exẽplar eiusdem, & nobis imitabiles; quarum aliquas clarè Christus Dominus, cùm nobis Deum Patrem in perfectione imitandum proponeret, expressit, volẽs scilicet in illis conformari nos Patri suo cælesti. Tales sunt. *Estote,* inquit, *misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est;* Luc: 6. *Et ego dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus vos, & calumniantibus, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos;* Matth: 6. Et alia alibi.

CAPVT XIX.

Christus est nobis propositus à Deo Patre, tanquam Idea & Exemplar perfectionis.

Diuinæ perfectiones summæ sunt & sublimes, & sicut ipse Deus, ita & illæ lucem habitant inaccessibilem, ac proinde non ita facilè à

cilè à nobis in natura diuina, mente capi & penetrari possunt, vnde nec imitatione efformari. Deus igitur ex infinita sua misericordia, volens prolixè prospectum in hac re infirmitati & fragilitati nostræ, ne vllã excusationẽ imperfectionis nostræ haberemus, aliud nobis exemplar ac Ideam ad imitandum, magis accommodatam, & proportionatã captui nostro, & viribus, eandẽq; visibilẽ oculis corporeis proposuit, nimirum Filium suum vnigenitum, carne nostra mortali indutum, *similem nobis per omnia*, vt ait Apostolus Paulus ad Philip: 2. & Hebr: 4. *excepto peccato*; id est, exceptis imperfectionibus, quibus nos carentes perfectione pleni sumus. Idcircò enim misit Deus Filium suum in mundum, vt nos mortales eum tanquam Ideam, ac exemplar perfectionis, etiam oculis nostris corporeis conspicientes imitaremur, in eoq; quid agendum, quid fugiendum intueremur; deniq; eius in nobis ipsis imaginem exprimeremus. Idcircò etiam Filius Dei vitam communem accepit, vt imitabilis esse posset.

Ita verò hæc se habere, vt dixi, testantur sacræ paginæ varijs in locis. Præscripsit Deus Moysi exemplar ac Ideam Sanctuarij, quod cõstruere debebat, in quo Deus habitaret in medio Israël, vt legimus *Exod: 25.* sicq; eum allocutus est: *Vide, & omnia facito iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Quod repetit D. Paulus ad *Hebr: 8.* ostendens *Moysi hæc in figura conti-*

giſſe; nobis verò IESVM Chriſtum in loco eminentiſſimo, perfectiſſimum exemplar perfectionis eſſe propoſitum. Vnde alio loco idem Apoſtolus dicit: *Eſtote imitatores Dei*, intelligit autem Chriſtum, *ſicut filij chariſſimi*; ad Epheſ: 5. Quamdiu verò, ſeu quouſq; id faciendum ſit nobis, explicat alio loco, videlicet ad Epheſ: 4. *Donec*, inquit, *occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Qualiter verò imitandũ ſit nobis hoc exemplar, idem Apoſtolus docet Hebr: 12. *Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem* IESVM, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Et vltra. *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Sed & D. Petrus, indicat hoc 1. ſua Epiſt: cùm ait: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum nõ fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius, qui cùm malediceretur, &c.* Tunc autem perfectiùs in hac re ſequimur veſtigia eius, cùm ad ſimilitudinẽ eius, qui innoxius paſſus eſt, nos quoq; aliqua innocenter ſuſtinemus. Pulchrè hoc Beda in illum locum Apoſtoli: *Quale exẽplum nobis reliquit Chriſtus? Non deliciarum*, inquit, *ſed tribulationum, laborum, contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, ſpinarum, crucis, vulnerum, mortis.* Denique & Pater ipſe cæleſtis, cùm iuſſit in monte Tha-

bor, *2. Petr*: 1. *Matth*: 3. ac *Luc*: 9. voce delapsa de cœlo, à magnifica gloria, vt eum audiamus: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Quibus verbis ipsum oculis nostris exemplar approbatum à se, constituit ad imitandũ, quicquid in eo conspexerimus, aut audierimus.

Illæ verò sunt præcipuæ perfectiones, quas Deus vult nos imitari in Christo, tanquã in exẽplari. Peccatũ non facere, sicut ille non fecit, dolũ in ore nostro non inueniri, quod de ipsò affirmat S. Petrus loco citato. Item, humiliare se, & Deo obedientẽ esse, sicut ipse humiliauit semetipsũ, ita de eo S. Paulus ad Phil. 2. *Factus obediens Patri vsq; ad mortẽ, mortem autẽ crucis*: quæ maxima fuerunt in eo, is enim erat ille, *qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit.* Præterea paupertatem exemplo Christi amare, *qui cùm diues esset, propter nos factus est egenus*, vt testatur Apost. 2. Cor: 8. & ita egenus factus, *vt non haberet vbi reclinaret sacratißimum caput suum*, Matth: 8. Carnis integritatem Angelicam seruare, quæ adeò Christo Domino placuit, vt cùm sine corpore laudem humanæ castitatis, habere non posset, *corpus induerit*, dæmonu, vt ait S. Gregor: Hom: 16. in Euangelia, *externo ludibrio obnoxium, vt & in eo de infirmitate nostra triumpharet, nosq; illud Encomium reportaremus: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum* (eò quòd ipse primas in castita-

te teneat) *quocunq; ierit.* Apoc: 14. Item obedientem esse hominibus propter Deum, quibus Christus D. miro modo *subditus erat.* Ioan: 2. Patiẽter ferre iniurias illatas, quas ille ita semper tulit, vt etiã *cùm ad mortem,* eamq; acerbissimam & ignominiosissimam *duceretur, quasi ouis, vel agnus, coram tondente se, ne quidem vocem emiserit.* Isa: 53. & Actor: 8. Iustitiam deniq; (plures enim perfectiones Christi, persequi non est mihi propositum) iustitiam, inquam erga omnes exactè custodire, erga Deum, proximos, & seipsum, quam Christus noster ita seruauit, vt meritò dixerit de se S. Ioanni Baptistæ: *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Matth: 3.

SedChristum exemplum perfectionis homini à Patre datum esse, præter Sacras litteras, quas iam vidimus, docent clarè, & disertè etiam Sancti Patres: præsertim D. Basil: in Constit: Monast: c. 2. vbi sic ait: *Omnis actio Christi est omnis pietatis excolendæ, & virtutis obeundæ regula, & propterea rectè perpensa, & humiliter ac profundè meditata, ad multa præstantissima virtutis opera nos mouet.* Origen: etiã hom: 5. in Ezech. *Propositus est nobis ad imitandũ Iesus Christus. Illud exemplar firmum est, quod qui consequi cupit, securus ingreditur.* & D. Aug: l. de Fide & Symbolo c. 4. & l. 3. 83. qq. q. 25. & 42. qui propterea etiã hom: 33. 50. homil: dicit Christũ primùm docuisse humilitatẽ, docuisse & primùm castitatem: propterea quoq; idem, vniuersam vitã Christi vocat in l. de ve-

ra Relig: c. 6. *disciplinam morum*; quod idem est ac dicere, Ideam seu exemplar. Sed verba ipsius audiamus ex loco iam citato. *Satellites*, inquit, *voluptatum diuitias pernitiosi homines appetebant; Christus verò pauper esse voluit: honoribus & imperijs inhiabant; Rex fieri noluit: carnales filios magnũ bonum putabant; tale coniugium, prolemq́; contempsit: contumelias superbißimè horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit: iniurias intolerabiles esse arbitrabantur; quæ maior iniuria quàm iustum, innocentiamq́; damnari? dolores corporis execrabantur; flagellatus atq́; cruciatus est: mori metuebant, morte mulctatus est: ignominiosißimum mortis genus crucem putabant; crucifixus est: omnia quæ habere cupientes, non rectè viuebamus, carendo vilia fecit: omnia quæ vitare cupientes à studio deuiabamus virtutis, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur ea quæ ille sustinuit. Tota itaq́; vita eius in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.* Hæc ille. D. Bernardus quoq; non alia de causa *Serm*: 4. *de Aduen.* affirmauit, omnem virtutem nostram tam longè esse à vera virtute, quàm longè est ab ea forma, quam verbo & exemplo commendauit Christus, & propterea *omnis*, inquit, *virtutis exemplum petendum est nobis à Christo*, ac proinde ipsum esse exemplar, seu ideam perfectionis. *Christus* inquit, S. Leo Serm: 14. & 16. de passion. *vniuersis in se credentibus, & Sacramentum condidit; & exemplum,*

vt vnum

vt vnum apprehenderent renaſcendo: alterum ſequerentur imitando. Si periculoſum eſt imitari illos de quibus dubitas an imitandi ſunt. inquit S. Hieron: ad Celant. *hunc certè imitari tutiſsimum eſt, atq; eius veſtigia ſequi; qui dixit: Ego ſum Via Veritas & Vita. Nūquid enim errat qui ſequitur veritatem,*&c. Et infra: *Ad illius exemplum nitimur, quem omnes fatemur imitandum.* Deniq; D. Bonauentura propterea in Informatione Nouitij *par: 1. cap: 32.* in hunc modum loquitur: *Deſcribe tibi in corde tuo mores & actus Christi, quàm humiliter ſe habuit inter homines, quàm benignus inter diſcipulos, quàm modeſtus in edendo & bibendo, quàm miſericors ſuper pauperes, quibus ſe ſimilem fecerat per omnia. quomodo nullum ſpreuit, vel horruit, etiamſi leproſus eſſet, quomodo diuitibus nō adulabatur, quàm liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis neceſsitatibus, quàm verecundus in viſu,*&c. & concludit. *Et hæc ſit ſapientia tua, & meditatio, & ſtudium, ſemper de eo aliquid cogitare vnde prouoceris, & afficiaris ad imitandum eum*, quibus non obſcurè indicat Sanctus Doctor, Chriſtum eſſe exēplar nobis perfectionis.

Tandem ipſe Chriſtus Dominus manifeſtè fatetur ſe eſſe exemplar perfectionis propoſitum nobis ad imitandum, & ad hoc ſe veniſſe in mundum, vt ipſius veſtigijs ſedulò inhæreamus. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ioan: 13. Propterea etiam clamabat: *Ego ſum lux mundi, ego Via & Veritas; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris,*

quia ſci-

quia scilicet cognitionem habet ab eo perfectionis. *Ioan* : *8.* & *Matth* : *16.* Et vt ad oculum & efficaciùs viam nobis ad perfectionem ostenderet, quia exempla magis mouent, quàm verba, priùs *cœpit facere* quàm *docere*, Ioan : 8. id est, priùs virtutum exempla in seipso cœpit exprimere, quàm nos eadem verbis docere. & longiori tempore fecit, quàm docuit; tribus enim duntaxat annis docuit, fecit verò quod docuit annis triginta tribus, & quidem adeò multa, vt de his ita scripserit D. Ioannes c. 20. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, ne ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Idcirco etiam dicebat: *Discite à me*, videlicet tanquam ab exemplari perfectionis, *quia mitis sum & humilis corde*. Matth : 11. Deniq; propterea disertè exposuit, tam consilia media ac modos, quibus perfectio comparatur, quàm pericula, laqueos, errores, omnia deniq; alia impedimenta, quæ perfectionem hanc impediunt: *Si quis*, dicebat, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth : *16.* *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan : 12. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Matth : 19. *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Luc : 14. *Sunt Eunuchi qui*

seipsos

seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Matth: 19. Tandem: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Luc: 10.

Deniq; Christum esse exemplar perfectionis nobis propositum, probant etiam facta illius. Ad quid enim aliud ille cùm esset verus Filius Dei, & non solùm Sanctus à momento suæ cõceptionis, sed & origo omnis sanctitatis, qui nullo prorsus indigebat medio ad perfectionem acquirendam, ad quid, inquam, in stabulo natus, pannis inuolutus, & in præsepio collocatus, octauo die Circumcisus est? Ad quid fugit in Ægyptum, desertum petijt, vitam pauperem duxit, propinquorum & parentum congressu abstinuit, famem, sitim, frigus & molestias itineris, ita vt fatigaretur, pertulit, noctes insomnes in oratione duxit, pro panibus, acceptis gratias egit, ignominias, opprobria, flagella, spinas, alapas, clauos, crucem, & mortem pertulit? Numquid vt ipse proficeret, nunquid vt in virtute cresceret? minimè; nam talem habuit creatam perfectionem Christus, & ita perfectas virtutes à primo momento suæ conceptionis, vt secundùm legem à Deo ordinatam, maius in illis augmentum fieri nequiuerit, neq; Christus magis in illis crescere potuerit, vt docent Theologi, 3. *par*: *q.* 7. & 8. de gratia Christi. Propter nos igitur hæc omnia fecit, vt nobis sufficiens tam omnis perfectionis, quàm vniuersarum virtutum exemplum,

& absolutam ideam exhiberet.

Habemus igitur quadruplici testimonio, Christum esse exemplar perfectionis, quod nobis Deus ad imitandum proposuit. Eum igitur vt attentè inspiciamus, & illius vitæ ac morum lineamenta in nobis imitatione exprimamus, requiritur, quo per conformitatem ad eum, ad gloriam cælestem peruenire mereamur; Tantò autem minus de perfectione habemus, quantò minus Christo assimilamur, & tantò plus in nobis est de perfectione, quantò magis ad Christum accedimus. Sicut illa lux maior est, quæ similior soli, & illa minor, quæ magis ab illo distat. Ita ille maior est sanctus & perfectus, qui perfectiùs Christi vestigia sequitur, & ille minor, qui minùs perfectè virtutes eius imitatur. Potissimùm autem in Christo imitanda est perfectio eius creata, carens omni peccato, vitio, & inordinatione passionum, & omnes virtutes in excelso gradu complectens.

Præter hanc autem, & alia quæ supra dixi, in quibus Christus imitandus est, & in quibus ei conformes nos esse oportet: est primò & præcipuè, amor eius erga Deum, *vt cognoscat*, inquit, *mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Id est: quamuis durum sit mori, & capi à sceleratis, me innocentissimum, tamen faciam, quia amo patrem. Et nos igitur, &c. Secundò, opus eius præcipuum, nimirum obedientia. *Meus cibus est, vt faciam volun-*

tatem

tatem eius qui misit me, & ſapide. Igitur & nos, ceruices noſtras ſuaui eius iugo non grauatè inſeramus. Tertiò, Paſſio eius, *Nonnè oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, Luc: 24. quantò magis oportet nos pati peccatores, vt & ſatisfaciamus pro peccatis noſtris, impetremus nobis neceſſaria auxilia à Deo, ad ſalutem conſequendam, & deniq; vt intremus in gloriam, non noſtram, ſed alienam, id eſt Dei. Quartò & vltimò, eſt perſeuerantia Chriſti, de qua ſunt illa verba: *Ego te clarificaui ſuper terram*, ducendo ſcilicet in tui cognitionem homines, verbis, exemplis vitæ, & miraculis die & noctu: *Opus conſummaui, quod dediſti mihi*, ſcilicet in mandatis vt faciam, opus videlicet redemptionis, & ſalutis humanæ. *Ioan*: 17. Per nos quoq; Deus ſuper terram clarificãdus eſt, vt non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed honorificetur, vt non blaſphemetur propter nos nomen Dei, ſed laudetur, vt ſcilicet homines videntes bona opera noſtra, glorificent Deum qui in cœlis eſt: Opus deniq; Dei, id eſt honorem ipſius, ſalutem & perfectionem noſtram ac proximorum conſummare debemus, vt promiſſum præmium conſequamur. *Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit*.

Alia autem præter dicta, quæ ſunt in Chriſto, vel non eſt neceſſe, vel non expedit nobis imitari, vt v. g. miracula facere; nam ad hæc imitanda non eſt Chriſtus propoſitus nobis à

Deo vt exemplar: & præsumptio esset. Fusius hanc rem explicat S. Bonauentura in Apologia pauperum par: 2. a. 2. vbi sex genera actionum Christi facit, & sextum tantùm genus, nimirum eas actiones quibus informabat vitam perfectam, imitandum esse nobis docet. *Primùm enim* inquit, *genus, id est excellētiæ, quibus eminet sublimitas potentiæ Christi, vt per aquas ambulare, &c. velle imitari est impium, & Luciferanum, nisi peculiari priuilegio alicui fuerit donatum. Secundum verò, id est, seueritatis iudicij, dum eijcit vendentes, &c. nonnisi prælati debent imitari.* Diuus verò Basilius, qui loco citato duplices dixit esse actiones Christi, quasdam studiosas, quibus dat documenta virtutum, vt humilitatis, dum lauat pedes, &c. quasdam laboriosas, quibus præbuit exemplar tolerantiæ, vtrasq; nos imitari posse affirmat, non alias.

CAPVT XX.

Præcipui Sancti in Ecclesia Dei, sunt exemplaria Perfectionis.

EXemplar hoc Perfectionis, quod præcedēti capite inspeximus, posset nobis nimiùm difficile videri ad imitandum, vti reuera est, tum propter sublimes illius perfectiones; est enim perfectio illius libera ab omni omninò imperfectione; tum propter infirmitatē nostram: maximè tamen ijs hic scopulus pertimescendus, qui primum vitæ spiritualis Oceanum ingrediuntur.

untur. Prouidit igitur diuina bonitas alia nobis exemplaria magis proportionata, nimirum puros homines, quatenus Christum secuti sunt, ab Ecclesia eiusdem in numerum iam Sanctorum relatos, quorum memoriam ipsa piè colit & veneratur. Nam si Sancti adhuc in terra degentes, possunt nobis esse exemplaria virtutũ, propter quod S. Hieron: suadebat Rustico in ep: ad ipsum, viuere in consortio Sanctorum, vt in singulis aliquam virtutem consideraret, eáq; addisceret, ac imitaretur: multò veriùs id dici debet de Sanctis, qui regnant iam cum Christo in cœlo. De his S. Ambr: cap: 1. de S. Ioseph: *Sanctorum vita cæteris norma viuendi est.* Vnde S. Aug: c. 4. in Medit: *Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in bono opere: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exemplar.*

Talis est beatissima Virgo Mater Christi, de qua, quod præsenti proposito nostro seruit, dixit S. Ambr: l. 2. de Virg: *In Virgine, velut in speculo refulget omnis forma virtutis.* Tanta autem est Perfectio huius Virginis sanctissimæ, vt S. Thomas dixerit; Perfectiones diuinas non aliunde posse meliùs cognosci, quàm si contemplemur perfectas & heroicas virtutes Mariæ. Idcircò etiam & B. Petrus Chrysologus *Ser:140.* affirmauit, eum nescire quàm magnus sit Deus, qui non nouerit animam Sanctissimæ Virginis, nec spiritum eius admiretur, in quo Deus adeò admirabilem se ostendit, vt per excellentiam

illa appelletur, *electa vt sol.* Cuius rei rationem reddit Petrus Damianus Card. Ser: de Assump: quia ita reliquos Sanctos excellit, sicut sol reliqua excedit astra, in cuius præsentia videntur non esse, ob illius supra illa excessum.

Tales sunt omnes Apostoli, & multi alij Sancti. Ac propterea D. Paulus, *1. Cor: 4* dixit Corinthijs: *Imitatores mei estote, sicut ego Christi*, scilicet sum; vbi D. Hieron: sic ait: *Non enim poterant statim imitatores Christi fieri, sed grande illis erat, si imitatores possent imitatoris existere.* Ephesijs verò quasi his, quos iam Apostolus mysteria tanta docuerat, non ait: *Imitatores mei estote*, sed *Dei.* Philippensibus verò c. 3. absolutè dicit: *Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Eandem etiam ob causam S. Augustinus, vt scilicet indicaret Sanctos esse Ideas perfectionis, *s. 47.* de Sanctis, affirmat, ab eis tantùm Sanctorum in veritate festiua gaudia celebrari, qui ipsorum Sanctorũ exempla sequantur. *Solennitates enim Sanctorũ, exhortationes* inquit, *sunt sanctitatis*, (quod idem ferè est ac perfectionis Ideæ) *vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Et D. Greg: Nissenus: *Verus modus laudandi Sanctos, est imitari illos.* D. etiam Bernard: s. 2. de Festo Omnium SS. sic ait: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, vt quos solenni veneratione prosequimur, etiam simili conuersatione sequamur.* B. etiam Laurentius Iustinianus Ser: in Festo Omnium SS. *Tunc veraciter*, inquit,

Sanctos

Sanctos colimus, cùm eorum vitam conuersando imitamur. Deniq; D. Chrysost: Serm: de Martyribus: *Qui iustorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atq; iustitiam imitetur: quoniam quem delectat sancti alicuius meritum, delectare debet par circa Dei cultum obsequium. Quare aut imitari debet si laudat, aut laudare non debet, si imitari detrectat.* Quantum verò horum & aliorum perfectorum virorum exemplum valeat apud nos, explicat Richardus Vict: in Cant: c. 5. *Nam ex agnitione,* inquit, *bonorum, & virtutum eorum, non parum accensum est in anima peccatoris aut imperfecti, desiderium iustitiæ, accessit enim ad ardentes hoc igne, quem Dominus* IESVS *misit in terram, & voluit vehementer accendi. Ad quos dum accedit tepidus, incalescit, & feruens amplius ignescit.*

Nobis autem hominibus Societatis IESV, inter omnes Sanctos, primum ac præcipuum exemplar perfectionis ad imitandum esse debet propositum S. Pater Ignatius, nostræ Religionis Fundator, quem nuper SS. D. N. GREGORIVS XV. Pontifex Maximus, pro suo in Societ: Paterno affectu, vitæ sanctimonia illustrem, & clarum miraculis, vnà cum Francisco Xauerio Indiarum Apostolo, & altero Doctore gentium, gloriosa apotheosi Sanctorum albo inscripsit. Franciscanus exemplar Sanctum Franciscum habeat; Dominicanus æmuletur sanctum Dominicum; Augustinianus sequatur sanctum Augustinum; Benedictinus S. Bene-

dictum impensè sectetur, &c. Anachoreta propositi sui Principes, Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios, Helias, ac Heliseos (vt cum S. Hieron: ad Paulinum loquar) sollicitè imitetur. At qui Societatis sacræ militiæ, dulcissimi nominis IESV tesserâ insignitus, adscriptus est Christo eius imperatori ac S. Ignatio antesignano, vt presso hæreat vestigio, requiro. Id suadebat nostris hominibus P. Faber, vnus è primis B. P. N. Socijs, vir in spirituali hac palæstra apprimè exercitatus, nec vnâ palmâ nobilis; vt nimirum, si celeriter perfectionem assequi vellent, vnum Ignatium sibi ante oculos ponerent, illumq; imitarentur, sic enim breui futurum, vt omnem perfectionem acquirerēt. Vide Petrum Ribadeneiram l.4.vitæ eiusdem. Eadem de causa P. Iacobus Laynez, secundus Generalis Societatis, vocabat S. P. Ignatium, *Sanctum. Estne iam mortuus*, inquiens, *Sanctus?* Idem dicebat & S. P. Franciscus Xauerius. Ratio verò cur præcipuè illum imitari debeamus, est, quia peculiaria habemus præ alijs Religiosis proposita nobis à Deo, media ac modos, acquirendæ huius perfectionis, & secundùm proprium Spiritum nostræ Religionis, non alterius, vt videbimus infra, ad eam nobis est tendendum. Quæ omnia vbi clariùs expressa intueri poterimus, quàm in hoc nostro B. Patre, & in vita ipsius, in qua à doctissimis iuxta ac religiosissimis viris, quibus ipse dum vixit optimè

notus,

notus extitit, literis consignata, sanctissimorũ dictorum ac factorum, memoriam colligatam tenemus? Ad cuius diligentem ac attentam lectionem, omnes homines Societatis, vt hunc perfectionis scopum feliciter attingant, quam possum ardenter hortor ac inuito. Quanquam enim alias eam & non semel legerimus, nihil tamen dubito peculiarem lucem repetitâ lectione adfuturam, quæ non solùm tenebras nostras illuminatura sit, vt clariùs virtutes huius Sancti Patris Nostri cognoscamus, sed & inflammatura, vt eas non segniter imitemur.

CAPVT XXI.

An Perfectio sit de necessitate salutis, seu necessaria vnicuiq; ad consequendam salutem.

PRæmittendum perfectionem sumi posse: vno modo præcisè, secundùm rationem Charitatis Theologicæ, quam includit: altero absolutè, secundùm integram suam rationem & essentiam: & hic modus proprius est ipsam accipiendi.

Item dupliciter perfectio potest esse necessaria, vel necessitate medij; vel necessitate præcepti. Illud dicitur necessarium necessitate medij, sine cuius scilicet causalitate & influxu, nō potest esse supernaturalis salus, id est sanctitas, vnde etiamsi ab homine ob ignorãtiam inuin-

 cibilem

cibilem omitteretur, impediretur tamen in illo consecutio salutis, quia ignorãtia quæ à peccato excusare potest, causalitatem tamen medij supplere non potest. Illud verò dicitur necessarium necessitate præcepti, quod ex præcepto necessarium est, ex quo oritur obligatio, vt res præcepta non possit omitti voluntariè sine peccato, ac proinde ex præcepto est necessaria ad impediendum peccatum contrarium, cum quo sanctitas permanere non potest.

Deniq; dupliciter adhuc perfectio potest asseri necessaria: vno modo in facto esse, seu re ipsa: alio modo in fieri, in desiderio, & cura: scilicet, vt curet quis eam, vt tendat ad eam. His positis.

Respondeo 1. Perfectio sumpta præcisè, secundum solam rationem Charitatis Theologicæ, in facto esse, est necessaria omnibus hominibus ad salutem, necessitate præcepti. Nam Charitas Theologica secũdum se est necessaria omnibus ad salutem necessitate præcepti, vt patet etiam ex *cap*: 7. & 11. & docetur à Theolog: 2. 2. Certè D. Ioan: *1. ep*: *c*. 3. affirmat, cum manere in morte, qui non diligit.

Respondeo 2. Perfectio absolutè, & secundum integram suam rationem sumpta, non est necessaria, nec in facto esse, nec in fieri, tam necessitate medij, quàm præcepti, omnibus hominibus etiam Christianis, quasi omnis Christianus teneatur vel esse perfectus, vel tendere

ad perfe-

ad perfectionem, si vult salutem cõsequi. Colligitur hoc ex dictis, *cap: 7.* & ex D. Thom: *2. 2. q. 184. a. 2.* imò & ex illis verbis S. Script: toties iam repetitis supra: *Si vis perfectus esse, &c.* Deniq; quia nec ex S. Script: neq; ex SS. Patribus, vel minimum indicium haberi potest, teneri omnes Christianos ad perfectionem ex præcepto: multo minùs esse illam necessariam hominibus necessitate medij. Quinimò multi illorum apertè docent, consilium tantum dari perfectionis Christianis à Christo Domino, illis verbis: *Estote perfecti*; Matth: 5. Et certè paucissimi omninò vitam æternam consequerētur. Deniq; habemus ex Decreto Ecclesiæ, non solùm salutem, sed & vitam æternam aliquos homines esse consecutos, sine perfectionis acquisitione in via; imò & sine tendentia ad eam: quod signum est manifestum, non esse ipsam necessariam necessitate medij, &c.

Respondeo 3. Perfectio absolutè sumpta, re ipsa est necessaria ad salutem Episcopis, ex vi talis status. Docet hoc ex SS. Patribus D. Thom: *2. 2. q. 186. a. 2.*

Respondeo 4. Religiosis autem nonnisi in fieri est necessaria perfectio; vt scilicet tendant ad eam, quod explicabimus seq: cap.

CAPVT XXII.

An Religiosi, & maximè homines Societatis obligentur ad Perfectionem, & quomodo?

RES hæc scitu non solùm digna est, sed etiam valde necessaria; siquidem obligatio non rogat eum qui obligatur, non mulcet, non relinquit liberum respectu rei obligatæ, vt scilicet faciat eam vel non faciat; deniq; non immunem sinit à pœna, quæ non satis facientem obligationi, necessariò consequitur: sed trahit, sed iubet, sed minatur, sed necessitat; denique non leue aliquod detrimẽtum, sed manifestum periculum æternæ damnationis, vel temporariæ inducit, quod in præsentia est aperiendum.

Tenendum primò, Religiosos post expletum tyrocinij sui tempus, & post edita vota iuxta Religionis suæ normam, quæ approbata sit ab Ecclesia Dei, teneri ad perfectionem. Probatur primò; quia communis est Sententia SS. PP. Theolog: & Magistr: spiritualium, Statum Religiosum esse statum perfectionis: ita D. Dionys: de Eccles: hierar: c. 5. D. Thom: 2. 2. q. 124. a. 5. & alij: cùm verò vnusquisq; Religiosus, postquam expleto tyrocinij sui tempore, oblationem suorum votorum iuxta morem suæ Religionis edidit, constitutus sit in statu Religioso, & teneatur ad illum, vt per se clarum est; sequitur omninò necessaria consequentia, teneri etiam eundem ad statum perfectionis, & quod idem est ad perfectionem. Hinc ijdem Auth: maximè, quos citaui, docent Religiosum per vota sua in statu perfectionis constitui, nouamq; per ipsa subire obligationem, procurandi

scilicet

ſcilicet perfectionem per media à ſua Religione conſtituta; quod niſi faciat, grauiter peccaturum. Probatur 2. Tenentur Religioſi ad ea quæ ſunt perfectionis, vt infra videbimus. Igitur tenentur etiam ad perfectionem. 3. Quia communis eſt ſententia eorundem quos nominaui, vnumquemq; Religioſum, qui mandatorum ac votorum ad crimen obligantium obſeruatione contentus, non vult proficere, peccare ſaltem aliquo modo. Audiamus vnius & alterius ex iſtis teſtimonium. D. Hieron: ita de talibus ep: 1. ad Heliodorum ſcribit: *Monachum*, (& eadem eſt ratio vniuſcuiuſq; Religioſi, vt patet ex contextu) *in patria ſua perfectum eſſe non poſſe, perfectum autem eſſe nolle, delinquere eſt.* Abbas etiam quidam, teſte Caſſia: lib: 4. c. 38. ſic dixit cuidam tyroni: *Nec leue peccatum exiſtimes, quod qui perfectionem eſt profeſſus* (id autem faciunt omnes Religioſi) *res amplectatur imperfectas, parui faciens id quod profeſſus eſt. Hoc enim eſt profeſſionem ac Regulam ſuam contemnere, & corde redire in Ægyptum, ac retro reſpicere, non attendendo, ſed aratrum negligendo, quod manu arripuit.* Iam verò ſi Religioſus cùm non vult proficere peccat, iuxta eorundem ſententiam, ſequitur eum teneri aliquo modo ad perfectionem. 4. Vnuſquiſq; probus Religioſus conſcientiam habet, cùm non ſtudet perfectioni; hoc verò argumentum manifeſtũ eſt ad eam teneri Religioſos. 5. Vnuſquiſque Religioſus approbatus obſtrinxit ſe votis, Pau-

pertatis, Castitatis, & Obedientiæ, coram Prælato qui locum Dei gerit, idq; ideò vt per hæc tanquam media & instrumenta perfectionis, liberiùs vacet Deo, & amori Creatoris inhæreat. Igitur tenetur ad obseruationem votorum, & consequenter etiam ad quærendam perfectionem; hoc enim in illis votis implicitè continetur. Clarum hoc fiet his similitudinibus. Quis enim promittit se arma gestaturum, nisi qui se defendendi, & inimicum feriendi, gerit voluntatem? Quis medicamentum se accepturum pollicetur, nisi qui sanitatem consequi voluerit? Denique, quis à noxijs & venenosis cibis abstinere promittit, nisi is qui ne in morbum, aut in mortem incurrat, pertimescit? Pari igitur ratione, quis vouet impedimentorum perfectionis fugam, nisi qui ipsam perfectionem, mentisq; puritatem acquirere, ac possidere contendit? Ergo licet perfectionem ipsam directè & propriè non vouerat, tamen intentionem perfectionis non obscurè promisit, ac proinde tenetur ad eam. Affirmat hoc D. Hieron: l. c. his verbis alloquens Religiosum: *Sed forsan dicturus es, quid ergo? quicunq; in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Respondeo: Non est tibi eadem causa quæ cæteris, Dominum ausculta dicentem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, ac sequere me;* Matth: 19. *Tu autem,* id est Religiose, *perfectum te fore pollicitus es: nam cùm derelicta militia te castrásti propter regnum cœlorum, quid aliud quàm per-*

fectam

fectam es secutus viam. 6. Multa & maxima beneficia vnicuiq; Religioso, Deus confert, vt perfectus sit, quæ res nimium certa est: id verò titulus est quidam & obligatio Religiosi ad perfectionem. Cur enim Deus indignatur postea talibus, si non proficiant? cur eos aliquando punit: deniq; tales videtur concernere comminatio illa D. Pauli ad Hebr: 6. *Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est & proxima maledicto, cuius consummatio in maledictionem.* Terra hæc potissimùm est anima Religiosa, quæ præ alijs habet copiosiorem imbrem beneficiorum diuinorum, vt scilicet proferat fructum perfectionis; quod si nō facit, non multum abest ab ira Dei, & à morte secunda. Quæ omnia indicant Religiosos ratione beneficiorum Dei, teneri ad perfectionē. Denique, quia vt ait S. Aug: in *Psal*: 69. & D. Bern: *ep*: 341. tenetur Religiosus non deficere, nec hærere, ac proinde tenetur, inquiunt, proficere: *Non proficere enim, est deficere; & vbi quis dixit, Sufficit, ibi hæsit*: quod fusiùs videbimus cap: seq. *Quid autem prodest Christum sequi, si non contingat & consequi?*

Tenendum 2. nos quoq; homines Societatis, post expletū Tyrocinij nostri, biennium, & edita more Societatis vota, teneri ad perfectionem. Conuincunt id rationes superius allatæ, neq; enim adferri potest aliquid, quòd nos peculiariter eximat, & excuset à communi illa

obliga-

obligatione. Accedit etiam quod & nostra statuta indicent hanc nobis obligationem inesse. Sic legimus in § 4. Ordinationis factæ pro Patribus Tertij anni. *Ad extremum*, inquit, *cùm hæc vltima sit probatio, atque ita constitutiones nostræ vocent illam, meritò sollicitum esse debere vnumquemque, vt ad quam initio perfectionem vocatus est, ad eam in hac demum probatione acquirendam, omni ope desudet. Iustum enim esse, vt quem à suis fructum Societas post tot labores & sumptus illorum causa impensos, totq; adiumenta tum in purgando affectu, tum in excolendo intellectu, adhibita, iure suo exigit & expectat, eum nunc tandem hoc anno reddant.* Ad vincendam verò tentationem contra institutum, suadetur nostris c. 12. Industriarum § 3. consideratio obligationis ad perfectionem, verum hoc ipsum copiosius patebit ex cap: 55. infra.

Tenendum tertiò, Religiosos, maximè verò nos homines Societatis, non teneri ex vi status Religiosi præcisè, esse perfectos, seu non teneri ad perfectionem sui status possidendã, sed teneri tantùm tendere ad perfectionẽ, seu ad eam procurandã adhibere conatũ. Ita communiter SS. PP. & Theologi, cùm docent Episcoporũ statum, qui supremũ gradum tenent in Ecclesia, esse statũ perfectorum, & teneri eos esse perfectos: Religiosorũ verò non, sed eorũ esse officium tantùm tendere ad perfectionem

Legi poteſt D. Thom: 2. 2. q. 186. a. 2. & Aluar: tom 1. lib: 5. par: 1. cap: 11. Ludouicus de Ponte Tom: 3. Tract: 6. cap: 1. Reginal: in praxi lib: 18. num: 391. Et ratio eſt: quia Religio ſeu ſtatus religioſus, non eſt ſchola hominum perfectorum: ſed vt tales ſint ſtudentium & conantium in eo perfectionis Euangelicæ gradu, quem proprius eius ſtatus exigit. Itaq; Religioſus non tenetur ſub reatu peccati, maximè lethalis, ad omnem perfectionem ſui ſtatus poſſidendam, ſed ad eandem procurandam. Præcepta namq; non de fine & ſcopo ad quem tenditur (finis hic autem & ſcopus Religioſorum eſt perfectio) ſed de medijs ad conſequendum adhibendis traduntur. Sicut medicus non tenetur ſanitatem ægroto reſtituere, nec miles victoriam obtinere: ſed vterq; tenetur ea media adhibere quæ præſcribuntur, vt ad talem finem perueniatur. Vt autem hi grauiter delinquerent, ſi media illa non adhiberent, ita ait S. Thom: l. c. *Peccabit Religioſus contemnens media, à ſua Religione ad perfectionem obtinendam, in ſuis Regulis præſcripta.* Idem quoq; quod diximus indicat S. Bernardus Epiſt: cit. cùm dicit: *Scalam Iacob, Typum eſſe Religionis.* Religio enim eſt quaſi ſcala quædam perfectionis. ſicut enim ſcala nō adhibetur vt quis in ea hæreat, ſed vt per eam aſcendat, ita in vita religioſa, ad id tantùm tenetur Religioſus, vt in ea tendat ad perfectionem, non verò vt ſit perfectus.

Tenen-

Tenendum quarto Homines Societatis, præcisè ex vi peculiaris status sui Religiosi, nõ teneri nec obligari sub peccato, tendere ad perfectionem in hoc sensu, quasi scilicet teneantur semper actu & operum executione, ad eam tendere & conari. Ita docet noster Aluar. loco cit. Et confirmat ex D. Thom. Probatur primò, quia si aliquis homo Societatis, retenta intentione proficiendi, & ad perfectionem aspirandi, vt videbimus mox, deficeret in statutorum suorum custodia, quæ obligationem peccati non inducerent, quales sunt apud nos non paucæ Regulæ, is quanquam tepidè ageret ac remissè, & perfectioni nonnullum impedimentum poneret, non tamen ob id continuò verè peccaret: voluit enim Fundator noster B. P. Ignatius, vt gratis ex amore, nõ timore alicuius peccati, seruiamus Deo, ac proindè noluit nos, ad obseruationem Regularum saltem omnium, obligare sub peccato. Secundò, quia non est communis Doctorum sententia, vt docet Aluar: loco cit. teneri sub peccato omnes Religiosos tendere actu & operum executione ad perfectionem. Ergo multò magis nos nõ tenemur. Dixi, non teneri nos sub peccato, præcisè ex vi peculiaris nostri status Religiosi Soc: IESV, tendere semper actu & operum executione ad perfectionem. Nam vtrum aliunde ad hoc teneamur sub peccato, v. g. ratione beneficiorum Dei, vel aliquorum aliorum Titulo-

rum, aut ratione status Religiosi in communi, non disputo in præsentia, nec examino, & nec nego, nec affirmo.

Tenendum quintò. Teneri nos homines Societatis, ex vi peculiaris status nostri sub peccato, in hoc sensu tendere ad perfectionem, scilicet non deponere animũ tendendi ad perfectionem, nec nolle amplius proficere ad id, seu quod idem est, nolle amplius proficere & in virtute progredi. Probatur primò: quia id saltem probant argumenta, quibus ostendimus supra, teneri Religiosos viros ad perfectionem. seu tendere ad ipsam. Secundò, quia hoc ipsum nolle scilicet amplius proficere, esset peccatum in homine Religioso, vt docent D. August: D. Bernar. & D. Thom: locis cit. vnde tenetur id non facere sub peccato, ac proinde tenetur sub peccato hoc modo tendere ad perfectionem.

Quamobrem excitemus nos, considerationis huius stimulo, quem nobis in hoc stadio religioso currentibus obligatio ad quærendam perfectionem, admouet, vt propositum nobis brauium Nicephori reportemus, effugiamus peccatum & pœnam, quæ illud sequitur: quam Deus non satisfacientibus obligationi suæ, negligentibus scilicet, & tepidis, euomendi, ac eijciendi illos, ex ore suo, minatur.

CAPVT XXIII.

Quid nos excitare debeat, ad quærendam Perfectionem.

Ardua

ARdua res est & difficilis perfectio, atq; in alto & sublimi loco posita: natura etiam nostra peccatis & immoderatis affectibus irretita, & amori rerum visibilium assueta, quasi duabus catenis vincta tenetur, ne ad fastigium virtutis, & ad capessendam viam perfectionis, etiamsi velit sese attollat, & quamuis consideratio obligationis, qua constringimur nos Religiosi, ad quærendam perfectionem, multum apud nos valeat, & tanquam calcar hærens, ad eam nos continuo persequendam instigat, tamen non ita, vt sola sufficiat; amor enim, præter timorem, tanquam potentior est necessarius, vt scilicet hoc ipsum appetat. Excitandus est igitur nobis in anima nostra, amor iste perfectionis, & curandum vt varijs incitamentis, motiuis, seu excitatorijs, vel vt veriùs dicam, argumentis efficaciter persuadentibus, accendatur in nobis desiderium illius, & ad capessendam perfectionem mens nostra disponatur. Tredecim autem huiusmodi sese in præsentia mihi offerunt.

Primum igitur motiuum sit: (quod primum semper est ordine & efficacitate, ad excitandum in nobis amorem erga rem aliquam) nobilitas, excellentia, amplitudo & maiestas perfectionis. Quod licet sufficienter in superioribus capitibus sit declaratum, tamen nonnulla breuiter colligere placuit, quæ hanc nobilitatem perfectionis ad oculos planè demonstrent.

ſtrent. Perfectio hæc maius ac melius eſt bonum, omnibus bonis corporis; quod ſic oſtendo: *Anima* vt docet Saluator noſter, Matth: 6. *plus eſt quàm eſca*, ex quo infero, (licet aliunde ſatis hæc res ſit certa & clara) plus eſſe quàm corpus, quod inter omnes eſcas viliſſimum locum tenet, vt pote nutrimentum vermium, quibus nonniſi viliſſimi & fœtidiſſimi cibi, qui horrori ſint intuentibus, relinquuntur. Iam verò cùm anima præſtantior ſit corpore, erit quoq; eadem præſtantior omnibus opibus, delicijs, honoribus, dignitatibus: hæc enim tantùm ſunt bona corporis, & ipſi ſeruiunt, & ad bona huius mortalis vitæ pertinent. Hinc verò ſequitur neceſſariò, Perfectionem præſtantiorem eſſe omnibus bonis corporis, quod aſſeueramus, ſiquidem bona animi præſtantiora ſunt & meliora bonis corporis, vt per ſe clarum eſt, & ſequitur ex dictis. Perfectio autem eſt bonum animæ, vt vidimus. Si igitur tantopere homines æſtimant, & tam ardenter appetunt, bona corporalia & temporalia, vt mille curis ſe implicent, & immenſos labores ſuſtineant, vt videre eſt in mercatoribus, aulicis, auaris, & alijs; quantopere ijſdem, & maximè hominibus Religioſis, æſtimandus, optandus ac deſiderandus eſſet hic cæleſtis theſaurus, & quantopere enitendum vt tam pretioſi boni perfectionem adipiſci ac conſequi valerent. Ad hæc ſi ſcire omnes homines naturâ appetunt,

& quærunt, vt docet Philoſophus. nec immeritò: eſt enim hoc aliquod bonum animæ noſtræ, ſicut ignorantia & error, malum eiuſdem: quantò magis appetere debent, & quærere perfectionem, quæ vera & maxima ſcientia eſt ac ſapientia, vt vidimus ſupra. Hæc enim facit nos practicè Deum ſcire, virtutem cognoſcere, contra vitia indignari, mandata Dei obſeruare, non inflari, ſed humiliari, & ad omnis puritatis faſtigium tendere ac peruenire. Si etiam virtus, vnum quoddam & particulare bonum animæ noſtræ, adeò res eſt nobilis, vt non ſolùm bonum & magnum faciat hominem, ſed, vt ait Seneca Epiſt: 87. *extollat illum & ſupra cara mortalibus collocet. Altum enim quiddam eſt virtus*, vt idem in lib: de Vita beata, ſcribit, *excelſum & regale, inuictum & infatigabile*: quantò maius animæ bonum ſine comparatione erit perfectio, & potiori ratione, omnia hæc dici oportebit de illa, quæ ſinu ſuo omnes virtutes complectitur, vt vidimus, & ipſa eſt vera & perfecta virtus; de qua ſic ait: B. Proſper: 3. de vita contemplat: cap: 16. *Omnis ſancta virtus res eſt diuina, incorporea prorſus, atq; mundiſſima, quam mentes inquinatæ non inquinant, ſed ipſa inquinatas emaculat, cuius participatione formantur informia, ſuſcitantur mortua, ſanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur aduerſa.* Hanc non habet niſi Deus, & is cui dederit Deus; quæ in animo habitat, ſed animum corpuſq; ſanctificat, ad quam nul-

lus acce-

H

tus accedit inuitus, quam nullus amittit, nisi propria voluntate deceptus. Neq; eam sibi cõferre potest, cùm possit auferre; alteri autem nec conferre poterit, nec auferre. Si ergo quamlibet virtutem, in precio habemus, amamus, & quærimus; multò magis virtutem perfectam, id est Perfectionem ipsam, æstimare, cupere, & inquirere debemus. Deniq; maximum ac præstantissimum hominis in hac vita bonum est vera ac perfecta beatitudo. hæc autem est Perfectio, vt vidimus. Nihil enim possunt cupere homines, quantumuis magnum, quantumuis splendidum & pulchrum, quantumuis preciosum & honore dignum, quod excellentius in Perfectionis possessione non habeatur. Æquum est igitur, vt eam ex hoc solo primo capite, seu motiuo, pluris quàm omnia bona sæculi, æstimemus, amemus, cupiamus, & ardenti studio quæramus. Hæc enim sola explere appetitum, & desideria nostra satiare valebit.

Secundum motiuum, desiderandæ & quærendæ perfectionis sit istud, quod absq; studio illius, nemo hominum, veram internam pacem, quæ exuperat omnem sensum, & sine qua difficile est viuere homini, imo infælix ipsâ vitâ, habere potest in hoc mundo. *Vnde enim in nobis non solùm lites, & bella*, vt ait Apostolus Iacobus c. 4 *sed & æmulationes, inuidiæ, animi amarulentiæ, inquietudines, & perturbationes*, nisi ex concupiscentijs inordinatis insurgentibus, nisi

ex vitijs in quæ delabimur, nisi ex defectu virtutum ac studij perfectionis? Non est mea intentio hîc, fusè & ex professo hanc rem prosequi, tractanda enim erit sæpius varijs in locis: quatuor tamen testimonijs ex SS. Patribus, id quod iam dixi, nimirum ex studio perfectionis oriri in nobis veram pacem internam, ex vitijs verò inquietudinem, confirmabo, vt tanquam facibus quibusdam subiectis, tam meipsum, quam etiam alios ad studium perfectionis inflammem. Præclara est de modo inueniendæ pacis sententia D. Chrysostomi, in Psal: 4. *Nihil æquè solet*, inquit ille, *pacem facere, ac Dei cognitio & virtutis professio, quæ animi perturbationem, internum bellum, domo procul eijcit, nec permittit, vt homo cum seipso seditiones agitet. Sane si hac pace non fruatur, etiamsi extrinsecus summa pax, etiamsi nullus hostis inuadat, est omnium qui viuunt in terra miserrimus. Neq; enim Scythæ, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec Indi, nec Mauri, nec quæcunq; sunt feræ gentes, tam atrox bellum gerunt, sicut improba ac nefaria cogitatio, quæ versatur in penetrabilibus animi, & quæ non castigatur intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium.* Quod autem quæ intus nascuntur, sint ijs quæ extrinsecus inuadunt grauiora, hoc licet videre in omnibus. Etenim & ligni naturam vermis, qui est intus, magis corrumpit, & vires sanitatemq; corporis morbi qui intus procreantur, plus lædunt, quàm qui extrinsecus adueniunt. Et ciui-

tates non tam externi, quàm interni hoſtes perdunt. Sed ſi quis timorem Dei habens, perturbationes animi ſedauerit, is puriſſimâ & altiſſimâ pace fruetur. Hanc pacem Chriſtus largitus eſt. Pulchrè de hac eadem re ſcribit, & D. Auguſt: ſuper verba illa: *Pſal: 84.* Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. *Fac*, inquit, *iuſtitiam, & habebis pacem, id eſt virtutum opera exerce,* (ſæpè enim in ſacra Scriptura iuſtititia accipitur pro omni virtute) pergit Sanctus, *fac vt oſculentur ſe iuſtitia & pax, ſi enim non amaueris iuſtitiam, pacem non habebis. Amant enim ſe duo iſta, iuſtitia & pax, & oſculantur ſe, vt qui fecerit iuſtitiam, inuenerit pacem oſculantem iuſtitiam. Duæ amicæ ſunt, tu forte vnam vis, & alteram non facis, nemo enim eſt qui non vult pacem, ſed non omnes volunt operari iuſtitiam. Si ergo vis pacem, ama iuſtitiam, quia hæ duæ amicæ ſunt, iuſtitia & pax.* Ideò *Pſalmus* 33 videlicet, *dicit tibi: Declina à malo & fac bonum*, inquire *pacem & perſequere eam.* Iam enim non diu illam quæres, quia ipſa occurret tibi, vt oſculetur iuſtitiam. Audiamus & Richardum Vict: deſcribentem naturam vitij, & effectum eius, qui eſt, inquietam reddere animam, lib: de Extermin: mal: c. 3. *Impietas,* ait, *mare eſt (mare autem inquietum eſt) & dulcem aquam facere non poteſt, ſed aqua eius valdè ſalſa eſt, & multum amara, & amaritudo eius, amaritudo amariſſima. Quid quæſo dulcedinis habet inuidia? quid ſuauitatis impatientia? huiuſmodi vt arbitror aquæ amaræ ſunt, & faciunt mare, quia nulli penitus ſapere, nemi-*

ni placere possunt. Fælix qui nulli subiacet culpæ, & cui non dominatur omnis iniquitas. Fælix ante cuius conspectum mare fugit, id est, malitia recedit. nunquid nam qui eiusmodi est fiducialiter psallere non potest, quid est tibi mare quod fugisti? Deniq; vt sciamus, etiam iustos sed imperfectos, pacem hanc internam nec cum Deo, nec cum alijs, sed nec secum ipsis habere posse, testatur S. Leo Serm: 1. de Quadragesi. vbi post multa præclara in hanc sententiam, tandem ita concludit: *Quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur.* Non possunt igitur vera pace gaudere, sed inquietudine interius debent angi, & vexari, quorum caro menti contradicit, vel eam immoderatis seruire facit affectibus, & quorum mens Deo multa iubenti repugnat, & potius effrenatis passionibus contraria postulantibus, obedit. Hoc autem necesse est vnumquemq; eum facere, & pati, qui virtutum & perfectionis studio nondum se totum tradidit.

Tertium motiuum, vt ardenti studio perfectioni quærendæ incumbamus, est enim hæc voluntas Dei, qui vult & impensè vult, vt ad perfectionem & sanctitatem aspiremus. Hoc autem, nimirum velle Dei, magnum, imò maximum ad hanc rem, (apud nos potissimùm homines Religiosos, qui propter innumera Dei in nos beneficia, quæ non omni nationi fecit, quibus nos sibi obligauit, nostrum velle diuino

eius sem-

eius semper coniungere tenemur) pondus habere debet, vt scilicet ipsius sanctissimo huic desiderio annuamus & satisfaciamus. Esse autem hoc Dei nostri, quod dixi, desiderium, clarum est, vt taceam alia, ex illo S. Pauli, *1. ad Thes*: 4. testimonio: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*; id est puritas, & munditia corporis & animi, seu spiritus. Puritas verò hæc & munditia, vt bene notat noster Salmeron in illã ep:ad Thes: disp: 4. *potissimùm consistit in declinatione à fornicatione spirituali*; id est, à quocunq; amore inordinato, & superfluo, per quem impura redditur anima. Talis autem puritas, maximè perfecta, vel est ipsa perfectio, vel sine perfectione, & magno ac feruenti studio perfectionis non habetur. Cupit ergo Deus nos esse perfectos, & non quocunq; modo, sed impensè & efficaciter; nam omnia quæ ex parte sua necessaria sunt nobis, ad hanc perfectionem consequendam subministrat, eamq; tum inspirationibus, præceptis & consilijs, tum beneficijs & plagis in nobis & efficere, & augere procurat.

Quartum motiuum est, voluntas Christi Domini, qua homo est: quæ res potentissima debet esse apud nos, nimirum vt summi benefactoris, & Redemptoris nostri, qui nos ex potestate dæmonis & seruitute liberauit, & lauãs in proprio sanguine à peccatis, Deo reconciliauit. Voluntatem autem hanc suam Christus Dominus, vt scilicet ad perfectionem conten-

damus, indicauit verbis illis: *Estote perfecti, sicut, &c.* Matth: 5. Magis autem eandem quatenus homo declarâsse, verbo illo, *Sitio*, in cruce prolato, docent aliqui Sancti Patres, & Cardin: Bellarm: in libello de septem verbis Christi. Non enim tam potum aliquē corporalem, quàm salutem & perfectionem nostram tunc sitiebat. Qui enim dolores acerbissimos, & cruciatus intolerabiles, ignominias horribiles, & contemptibilem nuditatem, patientissimè sustinebat, bene posset sitim potûs materialis dissimulare, nisi eam ad ostendendum desiderium nostræ perfectionis, manifestare oporteret. Sitiebat ergo aquam puritatis habere à nobis, id est vitā, quoad fieri potest, immaculatam, puramque, & quod idem est, perfectam. Verba B. Iustiniani lib: de agone, c. 19. sunt hæc: *Sitiebat*, inquit, *nos, &c.* Et D. Aug: Serm: 114. de tempore: *Quod*, inquit, *sitire se dicit Dominus, fidem incredulæ gentis concupiscit, &c.* Desiderium sitim vocauit; sicut & Proph: Psal: 41. Sitim, Desiderium: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, &c.* Sed non solùm desiderauit Christus perfectionem nostram; sed etiam vt eam videre in nobis posset, maximum quid fecit. *Tradidit enim seipsum in mortē*, vt testatur Apostolus ad Eph: 5. *& mortem acerbam ac ignominiosam*: tradidit autē pro Ecclesia, id est militante, vt expl: S. Clem: Rom: lib: 2. Dit: cap: 16. Vno verbo pro quacunq; anima tradidit se; in hunc verò finem

tradidit,

tradidit, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Concludo hoc motiuum & præcedens. Vna voluntas Moysis cupientis tabernaculum ædificare Domino, populum vniuersum adegit, vt libentissimè opes suas, & quidquid habebant, in opus destinatum conferrent, ac profunderent. *Egressaq; omnis multitudo filiorum Israël, de conspectu Moysi obtulerunt mente promptissimâ, atq; deuotâ, primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonij*; Exod: 35. Vna etiam voluntas Salomonis templum Deo exstruere volentis, vniuersos Israëlitas ad ædificationem incitauit, & plurimos eorum ad laborem applicuit. *Elegitq; Rex Salomon operarios de omni Israël, & erat indictio 30. millia virorum. Mittebatq; eos 10. millia in Libanum, per menses singulos vicissim. Fueruntq; Salomoni 70. millia eorum qui onera portabant, & 80. millia latomorum in monte, absq; præpositis, qui præerant singulis operibus numero trium millium, & 300. præcipientium populo, & his qui faciebant opus*; 3. Reg: 5. Horum Principum voluntas in subditos suos hoc potuit? Et voluntas Omnipotentis Dei in nos creaturas suas, & similiter Filij eius, non solùm voluntas, sed & mors, quam pro nobis ideo sustinuit; nos, inquam, redemptos ab eo, ad templum perfectionis ipsi exstruendum applicare non poterit? Equidem poterit, & faciet quod-

cunq; voluerit. Nos igitur ne serui simus rebelles, ne ingrati, obediamus Deo, Regi, & Redemptori nostro, & ad perfectionis opus, quod ipse vult, inchoat in nobis, & perficere desiderat, seriò manum iuxta ac animum applicemus.

Quintum motiuum, studium verum & feruens perfectionis, signum est certum inhabitantis in homine gratiæ diuinæ. Verum quidem est, neminem, vt docet *Eccl: cap: 9* posse scire certò euidenter in hac vita, sine peculiari reuelatione Dei, se Deo gratum & amicum existere, quod etiam asserunt Theologi in 2. 2. posse tamen ex aliquibus indicijs, & ex probabilibus argumentis, vero similiter conijcere, & etiam certò scire, quanquam non euidenter, certum est & indubitatum apud eosdem Theologos. Vnum ex his indicijs, & quidem potissimum, est studium verum & feruẽs perfectionis, quod nobis patefacit, nos statum peccatoris exuisse, vincula peccatorum dirupisse, & diuinam gratiam ac amicitiam comparasse. Quæ cognitio, licet obscura sit, neque adeò certa; præstantior tamen est, charior & vtilior nobis, omnibus naturalibus cognitionibus, quantumuis certissimis & euidentissimis. Nam rem altiorem & vtiliorem nobis pandit, donum scilicet præstãtissimum hominis, nimirum gratiam, per quam Deus in nobis habitat, & nos ipsi cari & amici sumus. Præstare autem hoc quod asserui, studium verum ac feruens perfectionis, non ob-

scure do-

ſcure docet D. Bernar: Serm: 2. de S. Andrea: *Teſtimonium*, inquit, *præſentiæ eius* (id eſt, gratiæ, de hac enim clarè loquitur) *præbent ipſa opera ſalutis & vitæ*, id eſt exercitium virtutum, *quæ nullatenus agere poſſemus, niſi ſpiritus qui viuificat, ſpiritus Saluatoris adeſſet. Quæramus igitur, vt dona ſua multiplicet Deus in nobis, & ſpiritum ſuum augeat, qui iam primitias dedit. Nullum enim omninò præſentiæ eius certius teſtimonium eſt, quàm deſiderium gratiæ amplioris: quoniam ipſe dicit Eccleſ: 24. Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Hæc ille. Et quidem ſapienter ex iſto loco Eccl: ſuam ac noſtram aſſertionem deſumit hic Sãctus, quoniam hic cibus & potus perfectionis, ſtudiũ ſcilicet verum ac feruens illius, talis naturæ eſt, vt qui verè aliquid ex illo deguſtauerit, magis ac magis ad deſiderium illius accendatur, & cõſequenter maius ac maius in ſe teſtimonium inhabitantis gratiæ diuinæ, ſentiat ac experiatur.

Sextum. Quia perfectio hominem ſimilẽ facit Deo, & imitatorem ipſius. Cùm enim Deum audimus, concipimus mente Dominum quendam ſapientiſſimum, iuſtiſſimum, benigniſſimum, miſericordiſſimum, patientiſſimũ, puriſſimum, omniumq; aliarum perfectionum pleniſſimum. Perfectio autem creata, de qua diſſerimus, tribuit nobis hoc ipſum; nam facit nos prudentes, iuſtos, miſericordes, patientes, puros, aliaq; quibus pulchra Dei ſimilitudo, & perfectionum eius imitatio conſpiciatur. Egregiè ſanè

gie sane S. Greg: Nissen: orat: de creat: hom: c. 5 explicat qua ratione similes Deo virtutũ possessione, & quod idem est, perfectione reddamur: *Sicut,* inquit, *forma hominis, per colores quosdam à pictoribus in tabulas transfertur, ita vt primæuæ formæ decor in similitudinem diligentissima mutatione transmigret; sic veræ formæ Dei similitudo depingitur in nobis, non cerussa, & purpurisso, sed puritate, maliq; totius auersione, & similibus. Talibus floribus mirabilis conditor imaginem propriam, id est, naturam nostræ conditionis ornauit.* Idem optimè ostendit S. August: Tract: de creat: primi hominis: *Similitudo Dei in nobis in moribus cernenda est, vt sicut Deus qui hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit, Charitas est, & bonus, & iustus, & patiens, & mitis, ac misericors, & cætera virtutum insignia, quæ de Deo leguntur: ita homo creatus est, vt haberet charitatem, vt bonus esset, & iustus, & patiens ac mitis, mundus ac misericors fieret. Quas virtutes quantò plus quisq; habet in seipso, tantò propinquior est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem. Si verò, quod absit, aliquis per deuia vitiorum, & diuortia criminum, ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degenerat, tunc fiet de eo, quod scriptum est* Psal: 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Hæc ille. Si ergo præstantissima res est, hominem esse similem Deo, vti reuera est, facilè apparet, quanti æstimanda sit à nobis perfectio, cuius beneficio & participatione, hanc similitudinem Dei induimus, & filij eius, sanctissimi Patris mores præferẽtes, efficimur

& appellamur. Magna res est profecto, esse similem Deo, nec plenè in hac vita cognoscitur: *Charissimi*, inquit S. Ioan: 1. epist: c. 3. *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicut est.*

Septimum. Mediâ Perfectione, vel feruenti studio illius, vitæ religiosæ, & vocationi nostræ satisfaciemus. Hoc verum esse, patet ex *cap: 22.* & quanti momenti sit, per se clarum est. Nam tunc non veste tantùm & signis exterioribus, sed re ipsa nos Religiosos esse declarabimus.

Octauum. Quia Perfectio ab ipso Deo, ab omnibus SS. Angelis, imò & à dæmonibus, & deniq; ab hominibus etiam peruersis in pretio habetur. Quod si ita est, vt verè est, quantò magis nos ad perfectionem vocati, & viri spirituales ac religiosi eam æstimare debemus? nisi fortè ipsi naturæ iniuriam aut contumeliã facere velimus, à qua comparatũ est, vt ea æstimemus, quæ omnes sine vlla contradictione suspiciunt, & quæ à nemine vidimus fuisse contempta.

Nonum motiuum est, quia qui non se tradit seriò studio Perfectionis, deficiat necesse est, & spirituales diuitias, quas iam habet, magnis laboribus paratas, nimirum virtutes amittat, aut diminuat, & denique pauper ac mendicus euadat. Doctrina hæc si vera est, vti verissimã

esse omni

esse omnino tenendum est, cùm à SS. Patribus sit accepta, vt mox ostendam; magnum profectò debet addere calcar omnibus, ac potissimùm Religiosis viris, ad verum & feruens studium perfectionis. Ecclesiæ sanctæ Doctores ferè omnes, & Magistri vitæ spiritualis, vnanimi consensu docent, non proficere in virtutibus, esse deficere. D. Augustinus non semel id affirmat, & confirmat; nam Serm: 15. de verb: Apost: ad finem, in hunc modum scribit: *Semper tibi displiceat is quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice; noli in via remanere, noli retro redire, noli deuiare. Remanet qui non proficit, retro redit, qui ad ea reuoluitur, vnde iam abscesserat, deuiat qui apostatat. Meliùs it claudus in via, quàm cursor præter viam.* Et in Psal: 69. ante finem sic ait: *Hæc vox*, scilicet; Tu es adiutor meus: *perseueret in nobis fratres: quantumcunq; hîc vixerimus, quantumcunq; hîc profecerimus, nemo dicat, sufficit mihi, iustus sum. Qui dixerit, remansit in via, non nouit peruenire: vbi dixerit sufficit, ibi hæsit.* In quibus verbis sancti, notandum est etiam hoc, quod ille non solùm velit vt ambulemus semper in via perfectionis, sed vt curramus, hoc est, non segniter, nec tardè ambulemus, si regredi & retrorsum abire nolumus, aut quod peius est, perire: nam & hoc verbo vtitur; quod quàm magnum terrorem nobis incutere debeat, nemo

est qui non videat. Eiusdem quoq; est sententiæ D. Greg: 3. Pastor: c. 35. *Admonendi*, inquit, *sunt, qui inchoata bona minimè consummant: vt cauta circumspectione considerent, quia dum proposita nō perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta, conuelluat. Si enim quod videtur gerendum solita intentione, non crescit; etiam quod fuerat bene gestum, decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis est, contra ictū fluminis condescendētis; vno in loco nequaquā stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remißio, contra hoc quod operatum est, pugnat. Hoc est enim quod per Salomonem dicitur: Prou: 18 Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dißipantis; quia videlicet qui cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ ab Angelo dicitur, Apocalip: 3. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant; non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo: quia ergo plena opera eius coram Deo inuenta non fuerant, moritura reliqua etiam, quæ erant gesta, prædicebat. Si enim quod mortuum est in nobis, ad vitam non accēditur, hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc viuum tenetur.* Hæc ille: quibus verbis acriter certè tepiditatem oppugnat. Idem quoque, quanquā breuiùs asserit Sanctissimus & eloquentissimus Pontifex LEO, Serm; 8. de Passione: *Quantumlibet*, inquit ille, *iustificatus sit quisq; , habet tamen dū in hac vita est, quo probatior & melior esse poßit. Qui*

autem

autem non proficit, deficit; & qui nihil acquirit, nonnihil perdit. In eandem sententiam conspirat D. Chrysost: Hom: 12. ad finem: *Qui se iam perfectum esse ait, & nihil ad virtutis assecutionem deesse sibi putat, à cursu cessabit, tanquam totum iam assecutus. Qui verò se metam nondum attigisse putat, nunquam à cursu desistet. Hoc ergo nobis semper reputandum est, etiamsi innumera dona executi fuerimus.* Et post multa. *Et quis*, inquit, *magis defecit, quam iste qui profectò necdum profectum cognouit, quem antequam viderit, se in sinu iam habere autumat. Et quis stultior eo, qui in tempore cursus cedit, &c.* Clarissimè verò & euidenter hoc denunciat Cassianus toto cap: 14. coll: 6. *Necesse*, inquit, *vt secundum Apostolum, aut renouatus quis spiritu mentis suæ per singulos dies non proficiat, aut si neglexerit, redeat, atq; in deterius relabatur.* Et S. Prosper Sent: 234. *Nemo fidelium, quamuis multum profecerit, dicat, sufficit mihi: Qui enim dixerit, remansit & hæsit in via ante finem; qui non perseuerabit vsq; in finem.* Abbas etiã Theodorus apud Cassian: l. c. *Quapropter*, inquit, *illud erit euidens nostri detrimenti indicium, si intellexerimus nihil amplius acquisiisse, ne dubitemus retrorsum fuisse nos reuocatos, quo die non senserimus ad superiora progressos.* Deniq; D. Bern: multis in locis, his similia quæ audiuimus, repetit; Epist: 341. ad Monachos sic ait: *Gloria Magistri, est profectus discipuli: quiuis in schola Christi non proficit, eius indignus est magisterio, præsertim tamen, vbi sumus, vbi nihil in eodem statu permanet, & non proficere*

sine du-

sine dubio, deficere est. Nemo proinde dicat, satis est, sic volo manere: sufficit mihi esse sicut heri, & nudiustertius. In via residet, qui huiusmodi est; in scala subsistit, vbi neminem vidit Patriarcha non ascendentem, aut descendentem. Dico ergo, qui existimat se stare, videat ne cadat. Et Epist: ad Garinum, sic scribit: *Itaq; indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur: quod si studere perfectioni esse perfectum est, profectò nolle proficere deficere est. Vbi ergo sunt qui dicere solent: sufficit nobis, nolumus esse meliores quàm Patres nostri: ô Monache non vis proficere?* Non? *vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere, in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potest?* Quod ipsum Epist: 91. sic declarat: *Recedant à me, & à vobis, qui dicunt nolumus esse meliores quàm Patres nostri, tepidorum & dissolutorum filios se esse protestantes, quorum memoria in maledictione est, quia manducauerunt vuas acerbas, quibus dentes filiorum obstupuerunt, &c.* & post multa. *Aut ascendas necesse est, aut descendas; si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo bonus est, qui melior esse non vult. & vbi incipis nolle fieri melior: ibi etiam desinis esse bonus.*

Verùm doctrina hæc SS. Patrum, nimirum eum qui non proficit in virtute deficere, magnas patitur difficultates. 1. quidem cùm generalis sit, & eos etiam attingat, qui non obligantur ad perfectionem, quomodo verum est tales peccare, eò quòd non proficiant? 2.

quia non omnes etiam Religiosi, vt vidimus c. præcedenti, tenentur semper actu, & operum executione, tendere ad perfectionem, &c. quia teneretur quilibet, quod falsum est, actus virtutum naturalium acquisitarum, intensiores semper elicere, quàm sint habitus, quos habet. nam nonnisi per tales actus illi augentur, & perficiuntur, vt notum etiam est ex Philosophia. Eam igitur paucis cùm ad scholasticam Theologiam spectet, explicabo, & quo sensu vera sit ostendam.

Primò igitur in hoc sensu deficiunt, qui nō proficiunt, quia muneri suo censentur non satisfacere. Omnis enim Christianus, & maximè Religiosus, viator est in hac vita, & viam ambulat versùs cælestem patriam. Cùm ergo gressibus meritorum non it, deficit in suo munere viatoris. Est item famulus Dei; famulus autem si vel vna die otiosus manet, nec obsequia quæ debet præstet, deficit à suo munere. 2. quia in vacuum gratiam Dei accipiunt, qui cum ea laborare nolunt, ac proinde deficiunt in hoc sensu; qui non proficiunt. Et propterea S. Paulus monet 2. Cor: 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 3. quia omnis virtus moralis, acquisita scilicet industriâ nostrâ, quæ non exercetur cùm possit, vel tepide exercetur, languescit quodammodo, & minuitur; quod & experientia ipsa nos docet, & Theologi vnanimi consensu. Et ratio est,

nam inter alia, cessante studio seu exercitio virtutum, contrariæ passiones insurgunt, & oppositi actus vitiorum, & desideria eorundem pullulant, quæ impetu in virtutes præsidio actuum destitutas irruentes, eas principio minuunt; & deinde perseuerante conflictu destruunt plurimum, & aliquando penitùs tollunt. Sed & virtutes supernaturales, multum detrimenti capiunt ex cessatione & negligentia nostra; nam & peccata leuia, ad eorum corruptionem hominem disponunt, & affectus inordinati, qui tunc insurgunt, efficiunt illas virtutes infirmiores & debiliores, in ordine scilicet ad contraria insurgentia, vt non possint facilè, sicut antea studijs perfectionis insistere, & hostes suos superare. Deniq; priuant se tales auxilijs diuinis, quæ necessaria sunt ad conseruationem in ipsis virtutum, quas habent, & ad resistendum peccatis, per quæ illæ aut minuuntur, aut omnino tolluntur, ac proinde tales in hoc sensu etiam deficiunt.

Decimum motiuum, est pæna, qua puniuntur à Deo illi, qui nolunt proficere, nec culpâ suâ cùm deberent proficiunt. Cuius timor multum apud nos valet, qui velut serui naturâ sumus, & timore magis ac pœna, ad bonum quàm amore & præmio mouemur, vt ipsi quoq; in nobis experimur: de qua pœna sicut & de præmio quod Deus largitur & dat illis, qui in studio perfectionis, diligenter laborant,

& non segniter in via illius currunt, quod vndecimum motiuum est, quo vehementer ad capessendam perfectionem excitare nos debemus, agemus separatis capitibus sequentibus.

Duodecimum motiuum est, Deum optimum maximum libentissimè orationes perfectorum, & eorum qui magno studio ad hoc contendunt, exaudire; & supra id quod petunt sæpè concedere. Quod clarum est ex Vitis SS. & ex Annalibus Ecclesiasticis, &c. Habemus exẽpla huiusmodi plurima S. Dominici, S. Fælicis, S. Fortunati, & aliorum.

Decimum tertium & vltimum. Nos Religiosi, reliquimus omnia, parentes, bona, honores, &c. nosq; ipsos alieno subiecimus imperio; idq; ideo vt ad perfectionem tenderemus. Hoc ipsum ergo, id est labores isti suscepti, & egregia facta excitare nos debent, vt conemur apprehendere, ob quod solum apprehendendum tantum iam præstitimus.

CAPVT XXIV.

De pœna imperfectorum Religiosorum.

DVbitare nullo modo possumus, puniendos esse à Deo eos Religiosos, qui nolunt proficere, & culpâ suâ, etiamsi illa ad mortalem nõ perueniat, non proficiunt. Nam & sacræ paginæ disertè indicant, & SS. Patrum testimonia clarè enuntiant, omnes tepidos, pigros, otiosos, ac

sos, ac inutiles seruos subiacere pœnæ diuinæ, illiq; obnoxios esse. Omnis autem imperfectus culpâ suâ, & tepidus est, & piger, & otiosus, & seruus inutilis.

Certum est primò, Deum iustum vindicem, solere sæpè etiam in hac vita, punire imperfectos Religiosos. Horrendum est & formidandum, socordiam ac desidiam horũ inertium & otiosorum hominum, videri ab eo oculo, quem fallere nemo potest, & in cuius conspectu sunt omnes creaturæ, quas armare potest, cùm voluerit, in talium vltionem. Quod licet solum sufficeret ad excitandos nos, ad strenuè quærendam perfectionem: tamen cùm res hæc pœna punitiua non sit, alia est inquirenda.

Prima igitur pœna est, maledictio Dei similis illi, quam Dauid imprecatus est montibus Gelboe. 2. Reg: 1. *Montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniant super vos, neq; sint agri primitiarum.* Imperfecti enim, steriles sunt sicut montes, & cùm careant humilitate, turgidi ac tumentes sint est necesse. Quia verò Deus odit tepiditatem & superbiam, sæpè solet imperfectos, qui tales culpâ suâ sunt, non amplius in hac vita visitare rore & pluuia efficaci, donorum cælestium: quæ magna profectò pœna est, cor enim nostrũ absq; his, *sicut terra sine aqua*, vt dicebat S. Propheta, *Psal: 142.*

Altera pœna est, faciunt sæpe tales iactu-

ram præteritorum meritorum, quod fusè vidimus in nono Motiuo cap: præcedenti.

Tertia pœna, grauius aliquando ruunt huiusmodi; hoc quoq; ex eodẽ loco manifestũ est.

Quarta, priuantur sæpè beneficijs concessis à Deo, v. g. beneficio vocationis, & perseuerantiæ in Religione. Ad hoc significandum dicta est illa parabola à Christo Domino Luc: 19. de homine nobili qui talenta sua, vel mnas suas, distribuit seruis suis ad negotiandum. Et quidem eos qui bene negotiati fuerant, præmio affecit, illum verò, qui pecuniam eius otiosam defoderat, iustissima pœna talento ablato mulctauit. *Omni enim habenti*, vt concludit Christus, id est, bene vtenti acceptis à Deo beneficijs, *dabitur, & abundabit*, id est, pluribus augebitur; *ab eo autem qui non habet*, scilicet cum fænore donum acceptum, *& quod habet*, scilicet ipsum etiam donum, *auferetur*.

Quinta, expositi sunt huiusmodi omnibus tentationibus Dæmonum, & eorum insidijs, seruituti, ac pœnis. Id minitari videtur Deus talibus Deut: 32. *Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atq; serpentium, foris vastabit eos gladius & intus pauor*. Infælix profectò & miserabilis horum hominum status, de quo sic ait D. Bern: in Serm: de Ascensione Domini. *Non tibi, inquit, horum vita inferno appropinquare penitus videtur, dum intelle-*

ctu affe-

ctu affectui, & affectu intellectui repugnant, necesse habeant mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur; socij planè tribulationis, sed non consolationis? exurgamus obsecro qui eiusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abijcientes perniciosam tepiditatem, & si non, quia periculosa est, & Deo solet (vt interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum prouocare, certe quia molestissima, plena miseriæ & doloris, & inferno planè proxima, vmbra mortis iure censetur.

Sexta pœna est, inquietudo animæ, quæ magna pœna est, quam necesse est experiri eos, & pati, qui imperfecti suâ culpâ & sunt, & esse volunt; vt vidimus supra in secundo motiuo.

Septima, carentia gustus ac dulcedinis spiritualis: hæc enim studium perfectionis comitantur, sine quibus functionis vitæ spiritualis ac religiosæ, graues, molestæ, & intolerabiles esse solent. Audiamus D. Greg: *18. mor: c. 8.* indicantem mala, quæ ex absentia talis dulcedinis oriuntur: *Esse*, inquit, *sine delectatione anima nunquam potest, nam aut infimis delectatur, aut summis, & quantò altiori studio exercetur ad summa, tantò maiori fastidio torpescit ad infima; quantoq; acriore curâ inardescit ad infima, tantò tepore damnabili frigescit ad summa.* Audiamus & Bernardum, *Serm: 20. in Cant:* commendantem hāc dulcedinem spiritualem: *Dulcedo*, inquit, *spiritualis, mirabili suauitate mētem inebriat, à rerum mundanarum desiderio, & à cura necessaria proprij corporis, eandem abducit.* Adiunga-

mus & alia, quæ pertinent ad commendationē huius dulcedinis spiritualis: *Virtutū deliciæ* (quæ scilicet oriūtur ex exercitio virtutū) inquit Cassianus coll: 24. c. 25. *præstant vniuersis voluptatibus carnalibus huius sæculi; imò hæ non voluptates, sed animi angores & anxietates dicendæ sunt.* Delectatio ex Deo & ex virtutibus, maior est omnibus delectationibus cibi & potus, aut cuiuslibet similis rei, vt ait D. Bernard: *Ser: 5. in Quadrag:* & D. Augustinus: *Mens hominis dum spirituali dulcedine tangitur, quicquid priùs de humana laude concupierat, libenter obliuiscitur.* Qui tamen vult potiri hac dulcedine spirituali, fugiat necesse est, quā cunq; aliam; nam vt idem S. Augustinus ait: *Si habet animus vnde oblectetur extrinsecus, sine delicijs manet interius.*

Octaua pœna, est melancholia, quam Deus ijs, qui culpâ suâ negligunt studium perfectionis, sæpè immittit. Item scrupuli, & variæ tribulationes, quibus & mentem & corpus illorum, sæpè vulnerat & lacerat: corpus videlicet doloribus & ægritudinibus tangendo; animam verò desolationibus & ariditate exercendo, vt discant tandem perfectionem amare & curare.

Nona & vltima pœna huius vitæ, est durissima increpatio Christi, & exprobratio, qua eos feriet, qui cùm debuissent ac potuissent, perfectionem acquirere eam, aut noluerunt, aut non curârunt. Audient tales sub horam mortis suæ, illud ex parabola citata: *Serue nequam,*

sciebas

sciebas quod homo austerus sum, quare ergo non dedisti talentum meum ad mensam? id est, quare non es negotiatus beneficijs spiritualibus, tibi à me collatis, vt & ego & tu fructum haberemus.

Certum est etiam 2. Deum punire, in altera quoq; vita, eos Religiosos, qui licet in gratia perseuerauerint, perfectioni tamen quærendæ, dum viuerent, operam non dederunt. Reddit enim ille vnicuiq; secundum opera suâ. Punit autem Deus huiusmodi homines triplici pæna. Prima est, quia non statim eos, etiamsi iusti sint, ad cœlũ & in conspectum suum admittit: altera est, quia eos carceri addicit, & inibi quæ tertia & vltima pœna est, purgatorij igne dum nouissimum reddant quadrantem, castigat. Habent quidem iusti omnes, licet ad Charitatis perfectionem non peruenerint, ius ad regnum cœleste consequendum, quousq; tamen non emundentur, & pro culpis venialibus, ac pœnis illis debitis, maximè si tepidè & imperfectè vixerũt, Deo non satisfaciunt; possessionẽ & hæreditatẽ cœlestis illius Hierusalem adire non possunt, sed in loco tenebroso, intra terræ conclusi detinentur viscera, & quod plus est terribili igne, & longissima duratione prout exigit vniuscuiusq; imperfectionum multitudo, puniuntur.

Triplicem pœnam asseruimus, iam vnamquamq; earum rationibus adstruamus. Prima hinc patet. Quare enim animabus, cum aliqua

leui culpa decedentibus, in ipso momento separationis à corpore, feruens actus contritionis & Charitatis datur (vt S. Thomas & alij Theologi docent) nisi vt ab imperfectione & venialibus maculis emundentur? Quare scriptum in *Apoc*: 21. quia non intrabit in eam ciuitatem cælestem, aliquid coinquinatum aut abominationem faciens, aut mendacium: nisi quia ante ingressum non solùm grauiorũ criminum vulnera pœnitentiæ antidoto persananda sunt, sed etiam mens à leuioribus peccatis, & imperfectionibus, quæ non immeritò nomine mendacij designantur, est expianda. Sicut aurum atq; argentum è terræ venis eductum, dum terræ aut scoriæ mistum est, ad regis quidem ius & dominium pertinet, sed donec purgetur, & ab omni sorde separetur, conspectui regio non offertur, neq; in eius thesauros & gazas admittitur: Ita iusti, dum imperfecti ex hac vita discedunt, non sunt scoriæ, nec æramenta, sterquilinio inferni deputanda, sed metalla pretiosa auri & argenti, in thesauro domini recondenda: at gemmis & alijs pretiosis ac mundis metallis non adiungentur, donec in illa ferrea purgatorij fornace seueriore flamma expurgata, & adhærescente detersa rubigine, ab omni labe munda reddantur. Custodiunt profectò diligenter SS. Angeli, ingressum cœlestis paradisi, & non solùm fœdà præuaricatione in scelera prolapsos, Dei inimicos, sed etiam iustos,

onere

onere imperfectionum & leuiorum culparum sarcina depressos arcent atq; reijciunt, donec vltrici incendio persolutis pœnis, manu missi digni sint, qui in patrium cœlum transcripti, nunquam desitura libertate ac lætitia perfruantur. Hæc autem pœna est, & vocatur pœna damni, quæ ex carentia visionis Dei procedit. Intolerabilis sanè ob ingens in iustis, Deum videndi desiderium, quod ex certa spe fruendi ipso exoritur. (habent enim hanc spem) & quia amant Deum, & perfectè amant non ferenda tam intense amati videbitur dilatio. Clamabit tunc cum dolore anima: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*, Psal: 119. & tristabitur, quia imperfectionibus suis eũ prolongauit.

Secunda verò pœna & tertia, quanquam ex his quæ diximus de prima, optimè colligantur, & necessariò inferantur, tamen ostendi possunt ex Apostolo, *1 Cor*: 3. vbi vtramq; indicat cùm inquit: *Si cuius opus arserit, detrimentũ patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ.* Illi enim, qui opera bona, multis tamen imperfectionibus culpâ suâ admixta fecerunt, quæ ignis exuret, id est, declarabit digna esse pœna ignis, molestissimis in altera vita cruciabuntur doloribus, & tandem ritè purgati, omni carentes maculâ ac rugâ, in locum salutis transibunt. Idem quoq; & Saluator ipse insinuat, Matth: 5. *Esto*, inquit, *consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo*, (hoc certè non est

præce-

præceptum, ſed conſilium, & tamen audiamus quid ſequitur) *ne fortè poſt viam* (hoc enim ſequitur) ſcilicet poſt hanc vitam, (via enim in ſacra Scriptura accipitur aliquando pro vita præſenti, vt Prou: 3. *Ambulabis fiducialiter in via tua*) *tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris*, ſcilicet purgatorij, vt exponunt SS. Patres, maximè D. Auguſtinus hom: 1. & 5. quinquag: hom. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem.* Aduerſarius hic noſter, hominum ſcilicet, non ſolùm iuſtorum & religioſorum, ſed omnium, conſcientia noſtra eſt, quæ nos de malis redarguit, & de tepiditate reprehendit, ac ad perfectionem vrget: huic ergo in via, id eſt in vita obediendum, nam ſi nos morti tradiderit, & in carcerem compegerit, non exibimus inde, quouſq; ſine vlla remiſſione, minima etiam non rectè facta, & tepiditatem ac imperfectiones ſoluerimus. Quare ſapienter D. Bernar: de obitu Humbertij, ad finē ait: *Volat irreuocabile tempus, & dum creditis vos cauere iſtam pœnam minimam, ſcilicet tædium, quod eſt in laborando, incurritis ampliorem. Illud enim ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgabilibus locis, centupliciter quæ hîc fuerunt neglecta, reddentur vſq; ad nouiſsimum quadrantem. Scio ego, quia durum eſt homini diſſoluto, apprehendere diſciplinam, verboſo ſilentium pati, vagari ſolito ſtabilem permanere: ſed durius & multò durius erit, futuras illas moleſtias tolerare. O quomodo eiuſmodi, qui propter*

solam socordiam suam, ad horrendas pœnas purgatorij detrudentur, quas mediocri studio in hac vita euadere poterant, incredibili dolore, ipsi suam ignauiam accusabunt. Dicunt pleriq; vellem esse in locis purgatorij? quid optas miser? vt sis miserior? si quid optare velis, opta vt in cœlis sis, ibi eris beatus. Malum est esse in locis infernis; Dei visione & tantisper priuari, acerbißimis pœnis detineri: finis ille tuus non est, non centrum illud est animæ, sed alicuius corporis grauioris. malum est ergo illic versari, nam ab eo petimus liberari, & Ecclesia supplicibus votis, & sacrificijs à Deo id postulat. Hæc Sanctus: Audiamus & S. August: verba Apostoli paulò ante citata explicantem, Psal: 37. *Quia dicitur saluus erit: contemnitur ille ignis. Ita plane, quamuis saluus per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo in hac vita pati.*

CAPVT XXV.

De Præmio Perfectorum.

SPes præmij, iucundum facit laboris onus, & quò maius præmium est, eò labor redditur leuior. Et ideò dixit D. Gregor: *Mercenarius lassescentem animum, ad considerandum præmium reuocans, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat, & quod graue perpendit ex opere, leue existimat ex remuneratione.* Et. *Tergendos esse nobis sudores, quos necesse est subire, dum facimus aliquod opus, vel quod plenum est labore, vel quod sine tentationibus & tribulationibus non sit: Tergendos verò linteo remuneratio-*

nis, id est spe & consideratione præmij. Cùm igitur ardua res sit perfectio, labores, vigilantiam, afflictiones, & lachrymas multas requirat, abnegationem sui, mortificationem sensuum, perpetuam pœnitentiæ crucis baiulationem; curam deniq; indefessam, ita vt necesse sit, hominem perfectioni iugiter attendentem, verissimè il. illud dicere Psal: 43. & Rom: 8. Quoniam mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Videndum est quænam sit merces seu præmium talis laboris, id est perfectionis. Bonorum enim laborum, gloriosus est fructus, vt ait Sapiens cap: 3. vt tandem cognito præmio, omnis hic labor, qui in quærenda perfectione subeundus est, tantò nobis sit iucundior & leuior, quantò augustior retributio expectatur.

Supponendum autem, Deum cùm sit æquissimus, & ob misericordiam suam infinitam & liberalitatem promptior ad præmiandum, quàm ad castigandum; non solùm in futura vita remunerari eos, qui perfectioni non segniter operam nauarunt, sed & in hac præsēti, infinitis penè præmijs locupletare.

Prima horũ est pax interna, quies, & gaudiũ, quod omnem mundanam delectationem superat. Id probant ea quæ attulimus *cap: 23. in 2. motiuo.* Hoc præmium intellexit Apostolus ad Philip: 4. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias vestras.* Vocat pacem Dei, quia à Deo præcipuè est, tanquam ab autore & datore: quam tamen ille non confert, nisi facientibus voluntatem illius. *Pax multa,* inquit Pro-

quit Propheta Psal: 118. *diligentibus legem tuam*, (quis verò magis diligit legem Dei, quàm perfectus, &c.) *& non est illis scandalum*, id est quod conturbet illos. Sicut enim à sole lumen, ab igne calor, ita à perfectione & iugi studio ipsius, oritur gaudium ac lætitia spiritualis supereminens, sicut & ipsa perfectio supereminens est quoddam bonum; & sicut beatitudinē illam patriæ, necessariò comitatur pax & gaudium, tanquam præmium aliquod illius, pari quoq; ratione & beatitudinem viæ, quæ perfectio est, comitari debet pax interna, & gaudium quoddam spirituale, tanquam præmium eiusdem in hac vita. Gaudium siquidem auctore S. Thoma, *2. 2 q. 28 a. 4.* ex bono amato primùm, desiderato deinde, demum acquisito nascitur: quod idem de pace asserendum. Est enim gaudium motus quidam, seu operatio circa bonum amatum possessum, cuius bonitati ipsum quoq; gaudium conforme esse solet. Infinito ergo bono possesso in hac vita, sicut in ea possideri potest, quod fit per acquisitionem perfectionis, etiam suum gaudium & sua pax respondebit, sed pro capacitate viæ beatorum gaudio imperfectius, magnum tamen, vt qui degustârunt illud exclamare cogantur. *Cor meum & caro mea mea exultauerunt in Deum viuum*, *Psal: 83.* Et propterea eligit homo abiectus esse in domo Dei sui, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum, quoniam melior est

dies vna

dies vna in atrijs perfectionis, super millia. Sanctorum quoque, plurimi idcirco mundum & omnia quæ in mundo sunt oblectamenta, etiam licita, reliquerunt, vt hoc gaudio potiri possent. Deniq; conscientia bona, est causa pacis internæ, & veri gaudij ac stabilis: De qua Sapiens Prou: 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium. Secura mens est*, inquit S. Gregor: l. 5. mor: c. 9. *quæ malæ cõscientiæ stimulis non pungitur: ita vt sibi ob remorsum conscientiæ, male vel hîc vel postea metuat, sed dicere possit cum Apostolo*, 2. Cor: 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ bonæ*, vt habet Hebræa. De hac & S. Chrysost: hom: 6. ad populũ. *Nihil suauius ea: cuius suauitas, prouenit à Spiritu sancto, à quo eius bonitas & puritas procedit.* Vnde Isidorus lib: 2. Synonym: cap: 11. *Si vis numquam esse tristis, bene viue*, Et, *Bona vita semper gaudium habet. Sicut è contrario, conscientia rei, semper in pœna est, reus animus nunquam securus, mens enim malæ conscientiæ, proprijs agitatur stimulis. Si enim in bono permanseris, mæstitia elongabitur à te; si in iustitia perseueraueris, tristitia non occurret tibi, nec plaga, nec mors terrebit te, si bene & piè vixeris.* Hæc ille. Et D. Bernardus Ser: 4. de Assumpt: B. V. *Infernus quidam animæ est & carcer, rea conscientia.* Prosper: etiam Synon: 291. *Grauissimæ sunt pœnæ malæ conscientiæ, quas nemo effugere potest: vbiq; enim illam secum fert.*

Deniq; S. August: in Psal: 36. *Quisquis*, ait, *malus est, male secum est, torqueatur necesse est: sibi ipsi*

tormentū est: ipse enim est pœna sua, quē torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit; à se quo fugiet? & *Serm: 31. in Nou. Quid dulcius bona conscientia? quæ si non est, & malè pungit & amara.*

Nouerunt verò id & Ethnici: vnde Cicero pro Roscio: *Suum quemq; scelus agitat, amentiaq́; afficit, suæ malæ cogitationes conscientiæq́; animi terent: hæ sunt impijs aßiduæ domesticæq; furiæ, quæ dies noctesq́; à sceleratis pœnas repetunt.* Et pro Milone: *Magna est vis conscientiæ in vtramq́; partem, vt neq; timēt, qui nihil commiserint, & pœnā semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt.* Iuuen: etiā Satyr: 13.

Cur tamen hos tu
Euasiße putes, quos dici consciam fasti,
Mens habet attonitos & surdo verbere cædit.
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

vbi verò melior conscientia reperiri potest, & vbi magis in iustitia perseueratur, & absolutè benè ac piè viuitur, quàm ibi, vbi est perfectio, aut verum studium illius?

Secunda merces quæ datur in hac vita à Deo, ijs qui perfectioni assequendæ, insignem operam nauarunt, vel nauant, sunt beneficia quædam, & dona peculiaria, & ampliora ijs, quæ idem Deus largiri solet communibus iustis: illi enim sunt filij, istis magis dilecti. Abraham vt legimus *Gen: 25.* cuncta quæ possederat, dederat Isaaco: filijs verò minus principalium vxorum, munera tantum largitus est: ita & Deus, vniuersalis omnium iustorum Pa-

ter, magna dona largitur communibus iustis in hac vita, tanquam filijs dilectis; maiora tamen sine comparatione perfectis, tanquam filijs dilectissimis. Videtur hoc indicare S. Ambros: *lib: 1. de Cain & Abel, c. 6.* vbi loquens de perfectis virtutum disciplinis, sic ait: *Has*, inquit, *nobis substituamus hæredes, quas S. Abraham in Isaaco filio suo substituit sibi, omnem operum suorum deputans hæreditatem, sapienti & iusto viro, nec vllum ius hæreditarium ancillis, vel ancillarum filijs derelinquens, sed tantummodo donationis munera. Perfectæ enim virtutes, totum accipiunt gloriæ patrimonium; vsitatis & mediocribus, vile aliquid aspergitur, &c.* Aliqua ex his donis peculiaribus, quæ perfectis, vel qui non segniter incumbunt studio perfectionis, innuit Deus per Isaiam c. 56. *Qui custodierint*, inquit, *Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui*; (inter quæ potissimam esse perfectionem, dubitare non possumus, hanc enim præcipuè Deus vult,) *& tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus.* Vox autem hæc, non tam appellationem quandam nouam, & sempiternam seu diuturnam significat, quàm habituri sunt perfecti à Deo in hac vita, quam beneficia quædam illius peculiaria, quibus à cæteris iustis distinguātur: quod videtur indicare D. Augustinus, *lib: de Sanct: virg: c. 25.* expendens illum locum: *Num ideò*, inquit, *fortasse & nomen dictum est, quod eos, quibus datur, distinguat à cæteris. Dedit Iacob partem*

vnam

vnam extra fratres, vt legimus, Gen: 48. filio suo Ioseph, tanquam magis dilecto; ita & Deus dat perfectis maiora beneficia, quàm alijs, quia illi & fratribus suis iniurias remittunt, & non solùm amicos diligunt, sed etiam inimicos, & populo famem patienti, tanquam fideles serui cibum in tempore, si non verbo, saltem exemplo subministrant.

Tertia merces perfectorum est, quod actus virtutum suauiter & sine vlla difficultate ac labore in hac vita exerceant. Ita docent SS. Patres, & ipsa experientia. Et ratio est. quia huiusmodi, vicerunt omnes difficultates, quæ præcipuæ sunt à natura corrupta, passionibus immortificatis, & habitibus vitiorum virtutibus contrarijs.

Quarta merces eorundem in præsenti sæculo est, gloria & parta victoria ex hostibus, & potestas quædam super eosdem. *Qui vicerit,* dicit Christus, Apoc: 2. *& custodierit vsq; in finem opera mea,* (hoc autem præstat aut solus, aut certe peculiariter perfectus,) *dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo, & dabo illis stellam matutinam.* Hæc est merces victorum absolutè, & quod idem est perfectorum. Imperant enim dæmonibus & passionibus, mundum cum omnibus suis pompis confringunt, nouâq; gratiâ illustres, & vellut stella in firmamento Ecclesiæ, omnibus verbo, exemplo, moribus vitæ, & ad extremum morte prælucent.

Veniamus iam ad præmia futuræ vitæ, quæ præparata sunt à Deo perfectis, & ijs, qui in hoc stadio ad palmam anhelant, & feruido cursu brauium à scopo diripere contendunt. Duplex inuenio præmium: Primum, tales corporeis soluti vinculis recta in cœlum, & ad conspectum Dei euolant. Alterum, sublimiori & excellentiori gloriâ ac beatitudine præ alijs iustis condecorantur.

Primum patet, quia nulla ex illis rationibus, militat contra perfectos, ob quas asseruimus *cap: præc:* imperfectos non statim post hanc vitam admitti in cœlum; habent enim illi ius ad illud, & cùm non sint coinquinati nec onerati, à cœli ingressu, & à possessione eiusdem, ne ad momentum quidem arceri possunt. & quis credat, benignissimum Iesvm, animas amantissimas sponsas suas, quæ omni conatu, minima delicta deuitãt, & vt hoc cõsequi possint, multis pœnis corpora sua afficiunt, paratæ interim, pro Dei gloria infinitis moribus cõstantiam suã, vel ad minimum peccatum vitãdum, probare, spõsas inquam suas, pro vno verbulo otioso, vel distractione in orationem irrepente, acerbissimo igne combusturum, & ijs subiecturum tormentis, quibus hîc per duellium & latronum enormia flagitia castigari, ac expiari consueuerunt. Sed & D. Paulus, indicare id videtur, 1. Cor: 4. *Si cuius opus manserit* (tales autem sine dubio sunt perfecti) *quod superædificauit, merce-*

dem acci-

dem accipiet; id eſt, ſi alicuius opus tale fuerit, vt nihil habeat quod ignis abſumat, ſtatim ſinè vlla mora præmium vitæ æternæ, & ampliſſimam gloriam ſuſcipiet. Quod D. Gregorius 4. Dialog: c. 25. palam atteſtatur in hunc modum ſcribens: *Luce clarius conſtat, quia perfectorum animæ mox vt huius carnis clauſtra exeunt, in cœleſtibus regni ſedibus recipiuntur.* & id ipſa per ſe veritas confirmat dicens: Luc: 17. *Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*; quia vbi ipſe Redemptor noſter eſt corpore, illuc procul dubiò colliguntur iuſtorum animæ. & S Paulus ad Philip: 1. *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Dantur etiam talibus in cœlo, *palmæ in manibus eorum,* Apoc: 7. & 9. tanquam victoribus in ſignum & præmium reportati triumphi.

Alterum verò præmium, clariùs deſumitur ex S. Scriptura & SS. Patribus, & ex communi conſenſu Theologorum, ſcilicet perfectos homines maiorem gloriam præ imperfectis accepturos in patria. Id indicant apertè illa loca ſcripturæ: *Nam qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. Cor: 9. Semen hoc eſt vita iuſta, quæ minor eſt imperfectorum quàm perfectorum. *Deus reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua*, ad Rom: 2. &, *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* 2. Cor: 5. Quare qui magna bona operatus fuerit: operantur au-

tem perfecti; & qui perfectioni magno conatu attenderit, magnâ gloriâ in cœlis ditabitur, & qui pauca gesserit, minorẽ mercedẽ recipiet. Idẽ quoq; & illa parabola hominis nobilis abeuntis in regionẽ longinquam, accipere sibi regnum, *Luc: 19.* manifestè designat, is enim seruo, qui decẽ mnas acceptas non defoderat otiosas, sed illis alias decẽ acquisierat, dixit: *Euge bone serue, eris potestatem habens supra decem ciuitates.* Alteri verò qui quinq;, alias quinq; lucratus fuerat, ait, *& tu esto super quinq; ciuitates.* Hac parabolâ innuens, pro maiore aut minore merito, quod oritur ex maiori vel minori perfectione, maiorem aut minorem futuram esse gloriæ ac dignitatis mensuram. Deniq; illud Apost: 1. Cor: 15. *Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum; sicut enim differt stella à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum:* quibus verbis apertè indicat etiam hoc aliud Apostolus, maximam esse, ac penè infinitam gloriæ iustorum, imperfectorum & perfectorum distantiam.

Sicut enim mediocres stellæ, minimas luce excellunt, & maiores, mediocres claritate superant; luna verò, maioribus etiam stellis, clarior est; sol verò multò magis lucidior lunâ: ita Sancti perfecti, minoribus Sanctis, gloriâ & maiestate erunt illustriores. Gradationẽ hanc, describit quoq; D. Ambrosius in eundem Apostoli locum: *Sicut sol & luna, & stellæ, cùm sint vnius quidem naturæ, diuersæ tamen claritatis sunt,*

ita & homines, cùm sint vnius generis, merito tamen dißimiles erunt in gloria. vt claritati solis, illorum dignitas exæquetur, qui centesimum numerum habent, qui vt perfecti essent, primi gradus æmuli fuerunt, de quibus dictum est: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in conspectu Dei, Matth: 13. *Lunari autem claritati, hi comparādi sunt, qui sexagesimū numerum bonis operibus mercati sunt, vt secundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus, eorum merita comparanda sunt, qui tricesimum numerum, tertij gradus dignitatem iustis laboribus quæsierunt. Sequentibus verò stellis, quæ inter claras & obscuriores mediæ sunt, peccatores homines coaptandi sunt, qui de tentationibus nullius gradus adipisci honorem voluerunt.*

Concludo, nolens pluribus agere testimonijs SS. Patrum, in re tam clara, verbis D. Gregorij 4. moral: c. 31. *Quia in hac vita est nobis discretio operum, erit in illa procul dubiò discretio dignitatum, vt quo hîc alius alium merito superat, illic alius alium, retributione & dignitate transcendat. Vnde in Euangelio veritas dicit,* Ioan: 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Hæc ille. Perfecti igitur homines, ingrediuntur cœlum vt duces, qui in bello fortiter decertantes, gloriosè multoties triumphârunt. Imperfecti verò vt milites, qui suorum primipilorum segniter & oscitanter legentes vestigia, leuioribus concisi plagis, deuictis tandem aduersarijs, victoriam quoq; sunt consecuti; illi sedebunt in cœlo altiori & illustriori loco veluti principes, hi vt ciues: illi vt

iudices cæterorum, hi vt iam iudicati ad pœnas purgatorij, quas etiam exoluerunt: tandem illi ad Archangelorum assumentur consortium, isti infra Angelorum etiam ordines collocabuntur. Quod clarè docet idem D. Gregorius hom: 34. in Euangelia, vt videre est ibi apud ipsum. Nemo autem nostrûm hoc præmium, gloriam scilicet, dignitatem & locum altiorē, Sanctis & perfectis viris præparata contemnat, quando vitiatæ naturæ quodam quasi impetu ad altiora propellimur, quin potius sicut nos in hac vita infimus locus contristat, ita infima in cœlo sedes non delectet; sed ad superiorem & altiorem Deo adiuuante ascendere conemur. Dicere quis posset: Parabolam Euangelicam apud S. Matthæum c. 20. testari, eos qui in vinea se vsq; ad vesperam summis & diuturnis laboribus conficiunt, æquam mercedem, nimirum denarium, habituros cum ijs, qui exiguo tempore laborauerunt. Cui respondet S. Augustinus de Verbo Domini tom: 10. *Denario significari vitam æternam in cœlo, quâ ibi nemo alio amplius viuet, quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura, sed quia multæ sunt mansiones, (* In domo Patris mei multæ sunt mansiones, Ioan: 14. *) diuersæ meritorum in vna vita æterna, significantur dignitates: alia est enim gloria solis, alia lunæ, &c.* Sed quamuis nomine denarij significaretur gloria cœlestis, adhuc tamen non sequeretur, æquales fore omnes beatos in gloria. Finis enim illius para-

bolæ est quantitatem mercedis, id est, beatitudinis seu gloriæ, non respondere quantitati tẽporis, quo quis quomodocunq; laboraret; sed quantitati laborum, id est, operum & meritorum: & consequẽnter fieri posse, vt qui diu laborauit, non maiorem mercedem recipiat, eo qui breuissimo tempore. Ex quo apparet absolute ex hac parabola colligi euidẽter, & meritorum & beatitudinis seu gloriæ inæqualitatem. licet enim de facto eodem merces dicitur data esse, id tamen factum est ex suppositione, quia nimirum omnes æquale meritum habebant, in primis compensante negligẽtiam operis longitudine tẽporis; in nouissimis breuitatẽ temporis, operis diligentiâ. Absolutè tamen loquendo, hinc necessariò sequitur, posse inæqualiter nos mereri, & consequenter inæquales fore in beatitudine.

CAPVT XXVI.

Quid primò faciendum est ei, qui cupit iam Perfectionem assequi?

ORdo, qui in hoc consistit, vt præeedant quæ debent præcedere, & quæ debent subsequi subsequantur; sicut enim in omnibus rebus, & potissimùm in scientijs, siue naturalibus, siue supernaturalibus addiscendis, ac in virtutibus acquirendis ordo requiritur; ita & in studio perfectionis valdè necessarius est, & serua-

ri debet. Primò quidem, quia ita vult Deus, qui amator est ordinis, & confusionis osor, propterea enim ordinis inuersorem in tartarum deiecit; *vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat*, Iob 12. *omnia verò in numero, pondere, & mensura disposuit*, Sap: 10. Quare & in negotio acquirendæ perfectionis, ordinem amare, & confusionem detestari dicendus est: *Quæ sunt*, inquit S. Paulus, *à Deo*, Rom: 13. *ordinata sunt*. Loquitur quidem ille de potestatibus, tùm Ecclesiasticis, tum sæcularibus, quas Deus aptè disposuit, & istam illi subiecit, & vt quælibet ordinatè suo fungatur officio, efficit. Idcircò quod de omnibus rebus asseritur, de perfectione quoq; est affirmãdum, quæ nobiliori modo est à Deo, vt vidimus. Nec existimanda est ipsa, & studium eius ordine posse carere.

Secundò. Quia magna est huius rei vtilitas & necessitas. Colligitur hoc ex S. Bernard: Serm: 49. in Cant: *Discretio*, inquit ille, *omni virtuti*, (ac proinde & perfectioni) *ordinem ponit*. Ordo verò modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem, imò & secundum eundem mellifluum Doctorem, iuuat vt quis faciliùs in hoc curriculo progrediatur. Ecce quanta necessitas ordinis in studio perfectionis, & simul vtilitas. Ordinem verò existimat ille, pertinere ad discretionem, quæ non est virtus, sed auriga virtutum, sine qua virtus, nec nomen virtutis, nec perfectio titulum perfectionis merebitur.

Tertiò.

Tertiò. Quia defectu solius ordinis in quærenda perfectione, qui viam perfectionis iam arripuerant & tenuerant, in varios errores, turpiter prolapsi sunt, & à recto deuiarunt; quod ne nobis quoq; contingat, ideò inquirimus, quid primò faciendum sit illi, qui sufficientem iam habet cognitionem perfectionis, scilicet in quo verè illa consistat, & quanta sit illius dignitas & excellentia, quanta vtilitas & necessitas, maximè verò si quis ad studium eius obligetur, eáque obligationem probè perspectam habeat. Hinc verò patebit, in quo iste ordo studij perfectionis consistat.

Dico ergo cum cõmuni & constanti omnium SS. Patrum Theologorum, & Magistrorum spiritualium sententia, ei qui ad perfectionis culmen anhelat, ardens iuxta ac feruens desiderium tam eximiæ sanctitatis excitandum esse: seu vehementem concipiendum amorem crescendi ac proficiendi, in spiritu ac via perfectionis. Quod ostendo primò ratione: quia perfectio hæc est res magna, & summis difficultatibus inuoluta, robustisq; hostibus, vt videbimus, cincta, qui iter ad eam obtinendam obsident, ac impediunt. Res autem magnæ & obtentu difficiles, quæ non communi labore, nec ordinariâ diligentiâ, sed insolitâ industriâ & eximijs conatibus acquiruntur, accensis desiderijs, & amore ardenti, vt ratio ipsa, & experientia quotidiana nos docent, optandæ sunt:

quæ ho-

quæ homines illarum rerum magnarum cupidos, in laborum tolerantia confirment, & ad euincendas difficultates, quæ adeptioni earum obsistunt, inflamment. Nam tepida & infirma desideria, quælibet insurgens difficultas extinguit, & mentem languidè ac frigidè cōtra emergentia impedimenta sese erigentem quoduis obstaculum, quasi hostis fortior, robustiorque prosternit. Contra verò, *dignior sequetur effectus, quem feruentior præcedit affectus*; vt affirmat D. Augustinus epist: 121. Igitur ardenter primò desiderari, & magnis desiderijs optari debet perfectio, ab ijs qui eam assequi volunt, ac proinde primò feruens illius desiderium excitãdum est.

Secundò. Quia id etiam indicat Scriptura Sacra, docet enim Deum, qui cupit vt simus perfecti, non solùm excitare in nobis vehemētia eiusmodi desideria perfectionis; sed etiam talibus solùm, qui insatiabili quadam eius cupiditate inflammati exardescunt, hoc diuinissimū donum promitti, atque concedi. *Beati*, inquit Christus, Matth: 5. *qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Iustitia enim hoc loco, non specialem virtutem cardinalem, quæ reddit vnicuiq; quod illi ex iure debetur, sed omnem virtutem, & potissimùm perfectionem, quo etiam nomine, vt vidimus supra, insigniri solet, significat. Iure autem perfectio, iustitiæ nomine significatur, cùm omnia opera perfectionis sint opera iustitiæ. Nam & Deo, & pro-

ximis, & sibi ipsi, vir perfectus debitum tribuit, dum Deo amorem & cultum, proximis subsidium, in eo quod potest, ac bonum exemplũ; & sibi ipsi quæ necessaria sunt, id est, non solum ea quæ commoda, sed quæ etiam incommoda, veluti afflictionem corporis & alia, reddit. Hac verò iustitiâ illi saturantur, id est, illi verè ditantur ac exornantur, qui non vtcumq; illam cupiunt, sed fame & siti, magno scilicet & ardenti desiderio exoptant. Et sic hunc locum interpretatur D. Hieron: lib: 1. in Matth: ad cap: 5. *Non nobis*, inquit, *sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem, vt sub hoc exemplo, nunquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus*. Eandem quoq; rem indicant exempla petita ex S. Scriptura, alterius quidem generis, talia tamen quæ ostendunt, desiderium vehemens alicuius rei, reddere facilem omnem laborem, & omnes difficultates, quæ in eius assecutione exurgunt, vincere ac superare. Seruiuit sanctus Patriarcha Iacob, vt habetur *Gen: 29.* septem annis pro Rachel, & sollicitè seruiuit ac laborauit, *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. Vt ergo nos quoq; assequamur perfectionem, amemus eam & ardenter desideremus; nam tale desiderium nos ad laborandum pro acquirenda perfectione incitabit, & omnia quæ pro consequenda ea pati nos oportuerit, leuia & parua efficiet. Quia desiderat valde mercator substantiam huius mundi, & miles peri-

turam

turam gloriam, ille accenditur ad laborandum, & sulcandum maria, etiam cum periculo vitæ, hic verò ad bellum. Nos quoq; vehemens desiderium perfectionis, animabit ad tolerandos labores, & superandas difficultates, quas experiri oportebit in quærenda perfectione.

Tertiò, patet hoc ex SS. PP. Sufficiat nobis D. Bern: & D. Bonauentura: Prior, Ser: 1. de Omnibus SS. sic ait: *Qui esurit*, scilicet perfectionem, *esuriat ampliùs; & qui desiderat, abundantiùs adhuc desideret; quoniam quantumcunq; desiderare potuerit, tantum accepturus est.* Posterior verò lib: de processu Religionis, cap: 22. inter tria præcipua, quæ retrahunt hominem à perfectione, numerat primo loco remissam voluntatem: *Tria*, inquit, *quæ maximè retrahunt hominem à profectu, non solùm perfectionis, sed etiam salutis, sicut in plurimis apparet, remissa scilicet voluntas, horror difficultatum, & diffidentia de auxilio gratiæ Dei.* Explicat autem quæ sit remissa voluntas, ea est quæ vult bonum, sed non ardenter, & sine conatu laboris; & ideò consuetudo leuitatis, retrahit eam à proposito perfectè proficiendi. *Cogat ergo*, inquit, *pigra voluntas seipsam, instinctu rationis*; id est, cogitatione honestatis, necessitatis, præmij, ac pœnæ. Sed & B. P. N. Ignatius, idem docet in sua Epist: ad nostros in Hispania: *Paratus est*, inquit, *Deus, dare nobis perfectionem, modò inueniat in nobis altam profundamq; humilitatem, & dignum suâ gratiâ desiderium, & bene acceptis beneficijs vti,*

cŷs vti, & in impigra gratiæ cooperatione versari inceſſanter nos videat.

Quartò & vltimò. Ideò nos homines Societatis, qui vocati ſumus ad quærendam & cõſequendam perfectionem, eiq; impenſè vacare tenemur, interrogamur, dum conſcientiam noſtram Superioribus noſtris, ſemel vel bis in anno aperimus, quem animum ad perfectionem conſequendam habeamus: vt patet ex § 9. inſtructionis, de manifeſtatione conſcientiæ, quo ſcilicet ſciamus, magnum nobis animum, & ardens perfectionis deſiderium, ſi eam adipiſci volumus: & tale deſiderium perfectionis ſeu proficiendi, docent quidam eſſe principale medium & diſpoſitionẽ ad proficiendum, ac acquirendam ipſam perfectionem. Vide Alph: Rodriq: l. c. in proœmio, tom: 1. c. 3.

Tale verò feruens deſiderium, & ardens amor, in voluntate noſtra excitatur ad eundem modum, quo & aliarum rerum ſupernaturaliũ deſideria. Primò. Conſideratione & contemplatione frequenti ac diligenti bonitatis, excellentiæ, dignitatis, pulchritudinis, aliarumq; rerum quæ perfectioni inſunt: item vtilitatis & neceſſitatis eiuſdem, quæ omnia à nobis fuſè ſatis hucuſque per multa capita explicata ſunt. Secundò. Auxilio peculiari gratiæ Dei præuenientis, & mouentis corda noſtra. Sicut enim nõ ſumus ſufficiẽtes ex nobis, ad dignè cogitandum aliquid, quod ad ſalutem noſtram ſpi-

ritualem,

ritualem, & vitam æternam pertineat, *2. Cor: 3.* ita nec ad desiderandum, absq; ope & adiutorio gratiæ diuinæ, quam Deus sufficienter omnibus, pro sua infinita misericordia largiri solet, maximè cùm rogatur.

Hic verò ardens amor, & hoc feruens desiderium perfectionis, excitatum in homine, duo inter alia præstabit in ipso: Primò, vt ad Deum, cùm sciat perfectionem esse donum ipsius, recurrat; ac vt eam obtinere possit, crebrò supplicibus votis ab eodem postulet, spēq; totam acquirendæ illius, non in labore suo, qui tamen necessarius est; sed in auxilio Dei, præueniente, adiuuante, & subsequente collocet: quinimò & ipsum desiderium accensum perfectionis, est ardens postulatio eiusdem. Os nostrum est desiderium nostrum, quod confitendo & amando dilatatur: *Excitandum igitur desideriũ,* inquit D. August: super illud Psal: 20. *Dilata os tuum & implebo illud, quæ est Dei promissio. Clamat os tuum*, inquit D. Ambr: ibidem Serm: 18. *etiam cùm tacet, sicut & Moyses, cùm taceret voce clamabat, nihilominus ab hominibus nõ audiebatur, & apud Deum personabat.* Est enim interioris clamor affectus, id est desiderij, qui auditur in cœlo. Secundò. Faciet vt idem feruenter ipsum studium perfectionis inchoet, & indefessè prosequatur, nec quiescat donec eam perfectionem obtineat, quã tantoperè expetit. Ea enim est amoris ac desiderij nostri natura, si tamen verum, ardens, &

actuosum est, vt non quiescat, nec mentem nostram quietam esse sinat, nisi fruatur eo, quod tantoperè desiderat. Eleganter hoc notauit D. Aug: in Psal: 121. in Proæmio: *Sicut amor immundus, inflammat animam ad terrena concupiscenda, & ad peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atq; in profunda demergit; sic sanctus amor ad superna eleuat, & ad æterna inflammat, & ad ea quæ non transeunt, neq; moriuntur, animam excitat, & de profundo inferni leuat ad cœlum. Habet tamen omnis amor vim suam, nec potest amor vacare in anima amantis, necesse est vt ducat. Sed vis nosse qualis amor sit? Vide quo ducat. Non enim monemus, vt nihil ametis, sed monemus ne mundum ametis, vt eum qui mundum fecit, liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest; mundata verò affectibus sordidißimis, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est duobus præceptis, dilectionis Dei & proximi, volat; quo, nisi ad Deum, ascendens volando, quia ascendit amando.* Hæc ille. Anima fertur desiderijs, sicut corpus pedibus. *Pondus meum, amor meus*; inquit S. Aug: lib: 13. Confes: *eo feror quocunq; feror.*

Ferueat igitur in nobis desiderium hoc, & amor Perfectionis, & quò magis distamus ab ea, eo magis facibus amoris eiusdem inflammemur. Ob hanc enim causam sæpè, vt ait S. August: in Psal: 83. Sanctorum hominum desideria differuntur: *Desiderium*, inquit, *eorum*, *id est res quam desiderant, differtur, vt crescat, crescit vt ca-*

piat: non enim parum aliquid daturus est Deus desideranti. Et D. Greg: Hom: 25. in Euang: *Sancta desideria dilatione crescunt, si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt* In eandem quoq; sententiã S. Ambr: in Psal: 118. ad versum: *Defecit in salutare tuum. Quò diutius abest qui desideratur, eo expectantis desideria maiori quadam vi amoris ignescunt: caro deficit, scilicet præ desiderij magnitudine, sed cupiditas alitur & augetur.*

CAPVT XXVII.

Perfectionis studium, nemo aggredi debet sine Magistro visibili, qui sit homo.

QVicunq; spiritualis vir, & religiosus, desiderio perfectionis succensus, cupit ad eã, non lentis passibus festinare, & tandem peruenire, Magistrum visibilem & hominem, viæ quæ ducit ad perfectionem, ignotæ, & non à multis tritæ, & præceptorem Perfectionis quærat oportet; à quo quomodo in ea ambulandũ, & progrediendum sit, edoceatur, ac manu quasi porrectâ dirigatur, ne in deuia delatus, plus quàm labirinthæis erroribus implicetur. Quanquam enim, vt notauit S. Greg: l. 1. dial: c. 1. reperti sunt homines, qui perfectionem per magisterium Dei intrinsecus docentis, assecuti sunt; qualis fuit S. Ioannes Baptista, Magistrũ enim habuisse non legitur; Moyses, Magnus Antonius, de quo narrat S. Athanasius in vita

eiusdem

eiuidem, eum à Deo ſolitum fuiſſe doceri; & deniq; quidam alij ſanctiſſimi viri illiterati, qui nullius hominis fuerunt diſcipuli, & tamen ſpirituali ſcientiâ, & magnâ quidem, operâ ſolius Spiritus ſancti præditi erant, vt teſtatur de illis Caſſianus collat: 14. c.16. & D. Auguſt: in Pſal: 113. *Cœlum*, inquit, *cæli Domino, qui quorundam Sanctorum mentes in tantum erexit & ſublimauit, vt nulli hominum, ſed ipſi Deo ſuo dociles fierent.* Hæc tamen res non eſt ordinaria, & pauci tales fuêre, vt per ſe patet, & *venerandum hoc eſt nobis*, vt monet idem S. Greg: loco citato; *non verò imitandum*, nec putandum talia ad idem expectandum nobis propoſita eſſe: *alioquin*, inquit, *fiet, vt dum ſe quiſq; Spiritu S. impletum præſumit, diſcipulus hominis eſſe renuat, & magiſter erroris ſit.* Neceſſarius itaq; eſt ei, qui viam perfectionis ingreditur, & in ea progreditur viſibilis dux ac magiſter, homo ſcilicet, qui probè iter perplexum caleat. Cui rei, vt tantò firmiùs mente adhæreamus & aſſentiamur, adductis eam confirmare argumentis, operæpretium duxi.

Primum. Quia hæc eſt conſuetudo & praxis in Eccleſia recepta, quod licet doceat S. Gregorius loco cit: & fusè probet, tamen hîc præterire S. Auguſtinum non poſſum, qui licet ſol Eccleſiæ Dei eſſet, in rebus tamen etiam ſibi perſpectis, ſcripſit ad Auxentium, vel Auxiliũ Epiſcopum iuuenem, ſe paratum eſſe ab eo doceri. Ita epiſt: 75. Quantò magis id diceret de

rebus perfectionem attinentibus. Lego quoq; apud Ioannem Moſcum, quendam Abbatem, cui propter ſanctitatem Angeli celebranti aſtabant quotidie, hoc documentum accepiſſe, vt hominibus docentibus illum, obediret; *quia Deus,* inquit, *ita diſpoſuit, vt homines ab hominibus doceantur.*

Videtur id quoq; indicare Sacra Scriptura, *Deuter: 32.* ſuppoſitâ explicatione SS. Patrum: *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi; ſeniores tuos, & dicent tibi.* Quid quod ipſe Deus, teſte eadem S. Scriptura, qui S. Paulum de cœlo vocauerat, nō tamen eum propter exemplum noſtrum, vt obſeruauit Caſſianus collat: 21. c. 25. ipſe per ſe docuit viam perfectionis, quod facilè poterat, ſed miſit ad Ananiam, vt ab eo illā cognoſceret, eum, inquiens, prius volens illius doctrinâ inſtitui, quam ſuâ; ne ſcilicet quod rectè geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum præſumptionis præberet exemplum. Ob quam etiam cauſam affirmat idem, Apoſtolum longo poſtea interuallo ad conferendum Euangeliū, quod prædicabat, quodq; non ab homine didicerat, ſed à Deo ipſo, eiuſdem Dei iuſſu (hoc enim ſignificant illa verba: *Aſcendi ſecundum reuelationem;*) Hieroſolymam ad ſuos anteceſſores & coapoſtolos aſcendiſſe. Ex quibus infert Caſſianus loco cit: nulli à Deo viam perfectionis oſtendi, qui habens vnde valeat erudiri, doctrinam ſeniorum vel inſtituta contempſerit.

Tertium. Probat hoc constans SS. Patrũ sententia. Ita S. Basilius in reg: fus: disp: c. 16. & in Serm: de instit: mon. S. Hieron: in epist: 4. ad Rust: in qua hæc sunt verba: *Mihi quidem placet, vt habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absq; Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statimq; in partem alteram tibi declinandũ sit, & errori pateas, plusq; aut minus ambules quàm necesse est, ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias.* Bernardus quoq; epist: 87. vbi hæc leguntur: *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Et Serm: 77. in Cant: super illa verba capitis 3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Audiant,* inquit, *qui sine duce & præceptore vias vitæ ingredi non formidant, ipsi sunt in arte spirituali existentes, & discipuli pariter & Magistri. Non sufficit hoc, etiam coaceruant sibi discipulos, cœci duces cœcorum, quàm multi ex hoc à recto tramite periculosissimè aberrâsse comperti sunt; nimirum ignorantes astutias sathanæ, & cogitationes ipsorum factũ est, vt qui spiritu cœperant, carne consumarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Videant proinde qui eiusmodi sunt, quomodo cautè ambulent, & de sponsa exemplum sumant; quæ non prius ad eum quem desiderabat, vllo modo valuit peruenire, quam sibi occurrerent, quorum magisterio vteretur, ad cognoscendum de dilecto. Certè ad discendum timorem Domini, seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori.* Climachus etiã de discretione, gradu 36. sic ait: *Sicut, qui sine duce est, etiamsi prudentissimus sit, in via errabundus incedit; ita*

dit; ita etiam qui suo arbitrio in via Domini pergit, etiamsi in omni mundana sapientia fuerit instructissimus, facilè perit. Deniq; missis alijs, quorum testimonia videri possunt apud Aluarez, tom: 1. de perfect: l. 5. pa: 2. c. 12. & apud Rosignolium de disc: Chr: l. 1. c. 1. Idem docet clarissimè S. Vincentius Ferr: tr: de vita spir: *Sciendum*, inquit, *est, quod homo faciliùs, & in breui tempore posset ad perfectionem peruenire, si haberet instructorem, cuius regimine duceretur, &c.* Imò plus dico, Christus sine quo nihil possumus, nunquam suam gratiam ministrabit illi, qui cùm habeat, qui eum deducat in via perfectionis, negligit ductum eius.

Quartum argumentum. Hanc quoq; necessitatem Magistri in studio perfectionis indicat institutum nostrum. 1. quidem, cùm præfecto rerum spiritualium, in regulis ipsius, reg: 9. præcipit, vt cum vnoquoq; ex nostris, de ijs quæ scilicet spectant ad perfectionem consequendam, agere vltra mensem ne differat, sæpè verò etiam consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione, & ex reliquis rebus spiritualibus, ijdem percipiant & colligant, vt in dies magis in Domino proficiant. Hoc verò ideo faciendum illi præscribit, vt scilicet rectè eos in via perfectionis dirigere possit. 2. Cùm ab vnoquoq; nostrûm exigit, vt rationem totius conscientiæ nostræ, Superioribus nostris, secundum capita præscripta aperiamus & redda-

mus,

mus, quo scilicet ab ijs meliùs in vita spirituali ac perfectionis, gubernari valeamus.

Quintum. Suadent id vtilitates magnæ, quæ ex hac institutione in via perfectionis à Magistro perfectionis percipiuntur; nam & sathanæ fraudes ac insidiæ faciliùs præcauentur ac vincuntur, & meliùs in via perfectionis ambulatur, & deniq; vberes alij fructus reportantur. Et ideo omnes Religiosi Scythiæ, ita instruebantur, vt testis est Cassianus l. 4. c. 9 vt omnes suas cogitationes Seniori aperirent: *Instituuntur*, inquit, *nullas penitùs cogitationes prurientes in corde pernitiosa confusione celare, sed confestim vt exortæ fuerint, eas suo patefacere Seniori, nec super earum iudicio quicquam suæ discretioni committere, sed illud credere malum esse vel bonum, quod discusserit ac pronunciauerit Senioris examen.* Idq; B. Dorotheus Serm: 5. expertum se esse in seipso, notabili penè cum fructu, dum in monasterio cum alijs habitaret, fatetur. Et propterea Richardus in Cant: c. 39. dixit, non posse errare eum, qui cum consilio viuit, nec ab inimico decipi, qui suggestiones eius detegit.

Deniq; constat hoc ipsum ratione, quæ nō vna est. Ego tres adferam. Prima est, quia nullæ artes & disciplinæ benè & perfectè addiscũtur sine Magistro, multò igitur minùs præstantissima & difficillima disciplinarum, nimirum doctrina de perfectione acquirenda, sine Magistro poterit haberi. Hanc rationem tradit &

explicat Cassianus coll: 21. c. 11. Cùm omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, quæ & nihil ampliùs, quàm vitæ huius commodis prosunt, licet manu palpari queant, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina, nequeunt comprehēdi: quàm ineptum est credere, hanc solam non egere Doctore, quæ & inuisibilis & occulta est, & quæ nonnisi corde purissimo peruidetur, cuius error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemq; perpetuam. Accedit, quod amor proprius nō permittat, vt pulchritudo & lux perfectionis appareat nobis, qualis est: opera igitur magistri est necessaria vt eam ipse nobis ostendat, ac exhibeat.

2. Quia quælibet virtus moralis, quam perfectio includit, in medio posita est: difficile est autem non solùm attingere, sed re ipsa hoc virtutis medium intelligere; necessaria est igitur prudentis alicuius Magistri doctrina, quæ hoc ipsum medium in actionibus nostris, quasi digito indicet, ne quod timebat D. Hieronymus, vt vidimus supra, plus aut minus ambulemus, quàm necesse est, aut currentes defatigemur, aut moram facientes obdormiamus.

Tertia & vltima. Quia vnusquisq; nostrū infirmus est aliquâ peccatorū, vel aliâ spirituali ægritudine; medico igitur egemus, cui infirmitates aperiamus. Via etiam perfectionis non est

adeo trita, vtpote à paucis frequentata, & carni ac ſanguini anguſta, ſubiacet multis dubijs, plena eſt tentationibus, periculis, & alijs difficultatibus; ductorem igitur huius viæ habeamus neceſſe eſt, ne à cupito termino inſipienter aberremus. *State*, dicit Dominus per Hierem: c. 6. *ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis*, ſcilicet magiſtros & ductores veſtros, *quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* Deniq; milites ſumus, militiæ ſpiritualis, aduerſus ſpirituales nequitias, *Epheſ*: 6. potentes, aſtutas, & bene exercitatas, quas dum impugnamus, dolis ac fraudibus velata pericula ſæpè non cernimus, niſi ab ijs qui in campo hoc & puluere ſunt exercitati, manifeſtentur. Nullus autem miles benè præliatur ſine Imperatore. *Vbi non eſt gubernator*, ait Sapiẽs Prou: 11. *populus corruet, ſalus autem vbi multa conſilia.* Quem locum tractans B. Dorotheus doct: 5. clarè ſatis periculum ſine rectore pugnantiũ detegit, & neceſſitatem ſpiritualis ductoris exponit: *Cauere nos, admonet*, inquit, *ne noſmetipſos informemus, ne nos ſciolos habeamus, ne perſuadeamur eſſe nos ſatis nobis ad regimen noſtrum. Opus enim eſt nobis auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil eſt miſerabilius, nihil quod citius expugnari queat, his qui nullos duces, nullos authores habeant ad viam Dei, ait enim, quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia. Folium à principio ſemper virens, ſemper germinans, ſemper delectabile eſt, non multò poſt areſcit & languet,*

& cadens contemnitur & conculcatur. Talis homo est, qui à nemine regitur; à principio feruentißimus ad ieiunia, ad vigilias, ad obedientiam, & ad quæcunq; cætera bona, paulò post extinctò eo feruore, si nullum habuerit sui gubernatorem, aut fotorem, qui extinctum ignem suscitet, & accendat, desiccatur & cadit, ac demum destitutus, ac hostibus suis captiuus traditur, qui vt voluerint, in ipsum grassantur. Hæc ille. Addit idẽ Beatus, ductore quoq; carere eum, qui licet habeat illum, tamen sua ei occultat. Necessaria est igitur idonei ductoris & magistri opera, ad viam perfectionis ingrediẽdam & prosequẽdã.

Hic autem nobis Religiosis viris, & Societatis hominibus, erit Superior noster, qui nos loco Christi Domini gubernat; præterea Pater spiritualis, quem Superior animabus nostris curandis, in Domo aut Collegio, tanquam medicum spiritualem designat. His duobus, animã nostram curandam, regendam, & ad perfectionem deducendam committemus, & iisdem in omnibus, quæ ad id spectant, obedientes nos & obtemperantes exhibebimus.

Aperienda autem sunt illis, & bona nostra & mala, tentationes, inclinationes, exercitationes in virtutibus, & fugæ in malis & vitijs, cogitationes ac motus animi, siue desideria, actiones & omissiones, imperfectiones, tepiditates, corporis asperitates, orationum vocalium multitudo, aut paucitas, materia ac modus meditandi, distractiones, ariditates, consolatio-

nes, il-

nes, illustrationes, vno verbo, arcana omnia cordis nostri, & totus interior ac exterior status noster: sic enim fiet, vt meliùs ab ijs dirigamur, gubernemur; & maiores progressus in via perfectionis, si eis in omnibus obedierimus, faciamus: præmiante etiam Deo, hanc nostram subiectionem, quam hominibus propter ipsum præstamus.

Et quamuis hi quos nominaui, non essent adeò periti ductores viæ perfectionis, nihilominùs, quia à Deo nobis præficiuntur, vt gubernent nos ac ducant permittendum erit. Deus enim ipse, in hoc casu, semper bonus, fidelis, & iustus, (de quo non est dubitandum) cogitationibus ipsorum aderit, & ea cõsilia suggeret, quæ necessaria & vtilia esse intelligit ijs quos erudiunt ad perfectionis Euangelicæ instituta. Dixit enim Luc: 10. *Qui vos audit, me audit Non est iniustus Deus,* vt pulchrè annotauit Climachus grad: 26. *vt animas nostras decipiat, quæ se per fidem & innocentiam, proximi consilio, atq; iudicio humiliter submiserint.*

CAPVT XXVIII.

Petenda est à Deo Perfectio, feruenter & instanter.

CVm perfectio à sola Dei benignitate pendeat, & sine magnis, ijsq; continuis auxilijs gratiæ diuinæ, obtineri non possit, & donum

Dei sit,

Dei sit, ac præstantissimum quidem, vt vidimus; quippe quod omnia alia Dei dona in se inuoluat, & vniuersa fermè diuina beneficia sibi adiuncta habeat: quotidiè certè ab eodem, in cuius est manu, & quidem sollicitè ac obnixè flagitandum est; vt non solùm pulchritudinem ac maiestatem huius perfectionis, quæ vera virtus est, bene & sincerè cognoscamus, verè & ardenter amemus, feruenter desideremus, sed & in via difficili, quæ ducit ad eam, quam ipsius Dei instinctu ingredimur, non aberremus, & ipsam tandem gratiâ eius adiuuante consequamur. *Si quis indiget sapientia*, inquit S. Iacobus Apostolus c. 1. *postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Sapientia præstantissima & absolutè perfecta, qua maior in hac vitâ homini non datur, est perfectio. Quis est autem nostrûm, qui non indiget perfectione? qua quantum sit, & non carere bonum, & destitui malum, si perfectè cognosceremus: profectò sollicitè, feruenter ac instanter postularemus ab eo, qui solus hanc indigentiam explere potest. Hoc igitur præstemus.

Nam quamuis Deus sponte sua paratus est dare nobis perfectionem, seu profectnm in perfectione, ad quem nos vocauit, & sæpè incitat ac mouet gratiâ suâ, nihilominùs vult postulari à nobis; nam & decreuerat Deus dare sapientiam Salomoni, & tamen quousq; ille posceret, expectauit, quin & excitauit illum ad

postulandum, dicens: *Postula quod vis vt dem tibi*, 3. Reg: 3.

Docet verò Salomon in Prouerb: c. 2. modum, quomodo obtineri possit per preces à Deo sapientia: *Si enim sapientiam inuocaueris*, ô homo, inquit ille, *& inclinaueris cor tuum prudentiæ, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies: quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia.* Inuocare sapientiam, est contemplari in oratione pulchritudinem & valorem eius, & inde moueri ad petendam eam à Domino, idq; instanter & ardenter affectu cordis: inclinare verò cor suum prudentiæ, est auscultare reuerenter vocem Dei docentis nos hanc sapientiam, & precium illius. Qui itaq; eo modo postulauerit perfectionem à Deo, sine dubio eam obtinebit.

Sed videamus modum, quem ipse Salomon tenuit in petenda sapientia, incitatus à Deo, vt ipsam expeteret, loco illo Regum cit: *Ego Domine sum puer paruulus, & ignorans egressum & interitum meum, dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere bonum & malum.* Placuit hic sermo coram Domino, quod Salomon postulâsset hanc rem, & dixit ei: *Quia postulâsti non diuitias, aut animas inimicorum tuorum, neq; dies multos, sed sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos.*

Nos quoq; exemplo huius regis sapientissimi,

ſimi, quotidie prouoluti ad thronum diuinæ maieſtatis, in humilitate cordis, petentes à Deo perfectionem, dicamus: Domine, & nos ſumus pueri paruuli; ignorantes egreſſum & introitum noſtrum. Dabis ergo ſeruis tuis cor docile, vt populum tuum iudicare poſſimus, & diſcernere inter bonum & malum. Verè paruuli ſumus, qui more paruulorum, viſibilia magis diligimus, & curamus, quàm inuiſibilia. Verè egreſſum noſtrum & introitum ignoramus, quia neſcimus, quomodo oporteat nos inter homines conuerſari. verè cor noſtrum non eſt ſubiectum vſq;quaq; Deo & ijs, qui nos loco Dei regunt: Neſcimus etiam populum interiorem, multorum ſcilicet qui in nobis ſunt affectuum, regere: deniq; nec bonum ſolidè amplecti, nec malum conſtanter fugere. Oremus ita non ſolùm interiori lingua, ſed exteriori, & quotidie, ſollicitè ac feruenter: & exaudiemur.

Seruire poteſt ad eandem rem nobis, & illa alia oratio, eiuſdem ſapientis, Sap: 9. *Deus Patrum meorum, & Domine miſericordiæ, da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à ſeruis tuis, quoniam ſeruus tuus ego ſum, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum.* Et, *Deduc me Domine,* vt dicebat S. Dauid, Pſal: 5. *in tua iuſtitia propter inimicos meos*: hoc eſt in via perfectionis, in qua à Deo duci poſtulat, vt expl: ibi: S Aug.

S. Paulus

S. Paulus frequenter & feruenter postulabat à Deo perfectionem filijs suis, quos Christo per Euangeliũ genuerat. *Et hoc oro*, inquit, Philip: 2. *vt caritas vestra magis ac magis abundet: & huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas nominatur, in cælis & in terra, vt det nobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per Spiritum eius, in interiori homine, Christum habitare in cordibus vestris, in charitate radicati ac fundati.* Profectò nobis quoq; conuenit, imò multò magis, postulare à Deo feruenter, & frequenter, vt tanto perfectionis munere ac dono, nos egenos locupletare non dedignetur.

CAPVT XXIX.

Feruenter inchoandum est studium Perfectionis; & prosequendum.

ETsi Perfectio donum Dei est, & ab eo misericorditer expectandum, vt ostendimus cap: præcedenti, tamen non ita, vt nos omninò otio torpeamus, & nihil operæ præter solas præces adhibeamus; sed vt secundùm vires à Deo datas fortiter agamus, & ad adipiscendam perfectionem, violenter omnes animi ac corporis vires exeramus. Non enim dormientibus, nec oscitantibus pulcherrimam hanc perfectionis margarytam, donat ille, sed vigilantibus, & pro ipsa strenuè contra seipsos, & ad-

uersus

uerius omnia vitia, ac alia impedimenta decertantibus, benignè communicare consueuit. Siquidem ad collationem perfectionis laborem nostrum, industriam ac diligentiam ex gratia sua procedentem requirit, & nostram cooperationem ad impertiendam sanctitatem exigit. Nec immeritò, cùm perfectio operibus nostris, ijsq; vitalibus, quæ sine nobis fieri non possunt, efficienda sit. Ita verò se rem habere, patet primò ex ijs, quæ supra diximus, & indicatur à S. Leone, Serm: 2. de Epiph: c. 3. *Quamuis*, inquit ille, *Deus sit omnium bonorum largitor: tamen etiam nostræ industriæ fructum requirit*: quòd multò veriùs de perfectione affirmabitur. Deniq; sacra Scriptura clarè hoc idem testatur, & diuersos modos loquendi in hac re adhibet, vt hoc iustitiæ ac perfectionis opus, & Dei esse, & nostræ etiam industriæ, Dei gratia fultæ, nobis aperiat. quia scilicet ad extirpanda vitia, & virtutes ac ipsam perfectionem consequendã, debemus diuinæ gratiæ & præuenienti, & adiuuanti cooperari. Ait enim Apostolus ad Rom: 9. *Non est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei.* Et *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*, Philip: 2. &, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ioan: 6. Item, *Perfice gressus meos in semitis tuis*, Psal: 16. & alia his similia, penè innumera. Hæc enim manifestè indicant virtutem omnem, & consequenter perfectionem, Dei donum esse: sed tamen & nostram coope-

rationem requirere: nos enim sumus, qui volumus, qui venimus, gradimur, & deniq; ad perfectionem tendimns. Clarissimè verò progressum in perfectione postulare hominis studium & industriam, docet Apostolus 1. ad Tim: 4. *Exerce autem teipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est; pietas autē ad omnia.* Nomine enim pietatis intelligit, non solùm illam virtutem, quâ patriæ, parentibus & alijs sanguine iūctis, cultum & officium tribuimus, hæc enim pietas est, vt docet Tullius, maximè in somnio Scipionis: nec illam tantùm qua cultum Deo reddimus, quæ propriè pietas est & religio, vt tradit S. August: lib: 10. de Ciuit: Dei. c. 1. Sed omnem virtutem, & maximè illam, quæ opera misericordiæ exercet, ac proinde etiam perfectionem intelligit. Solet enim hoc nomen pietatis, vt obseruat D. Augustinus loco cit. tribui omnibus virtutibus, & potissimum misericordiæ, eo quòd Deus mandat virtutes, vel sibi eas pro sacrificijs, & præ sacrificijs placere testatur.

Iam verò hæc cooperatio nostra gratiæ Dei in quærēda & acquirēda perfectione, nō sufficit quæcunq;, sed feruens, non solùm initio, dū scilicet studium hoc, opus, vel stadiū perfectionis inchoamus; sed & in medio, dum illud prosequimur, vno verbo semper. Magno enim conatu ac ardore, totis viribus, industriâ, curâ & diligentiâ ad brauium perfectionis capessen-

dum indefeſsè ferri debemus, & quod idem eſt, in operibus quibus acquiritur perfectio, ſollicita quadam contentione ac aſſiduitate nos exercere. Indicare hoc videtur Salomon, loco quem expoſuimus cap: præcedenti. *Si quæſieris*, inquit, *eam quaſi pecuniam*, ſapientiã nempe, & quod idem eſt perfectionem. Parum quidem hoc eſt, perfectionem, tanto ſtudio & conatu quærere, quanto pecunia inueſtigatur, parum inquam, ſi vtriuſq; huius obiecti fiat comparatio: ſatis tamen eſt, ſi quis ad perfectionem aſpiret, ſicut mortales ad pecuniam anhelant. Quid non faciunt iſti? videas aliquando, quod admirabile profecto eſt, & miſerandum, alicuius auari mentem vinculis cupiditatis ita adſtrictam eſſe, vt ſemper ſe aurum, ſemper argentum credat videre, & tenere; ſemper reditus computet, rationes ſubducat, tanta auiditate ſectetur pecuniam, vt aurum libentiùs, quàm ſolem intueri, non immeritò videri poſſit, & ipſis deniq; orationibus ac ſupplicationibus, nihil niſi diuitiarum augmentum, auri & argenti abundantiam à Deo exprimere ac extorquere conetur. Pudet profectò conſiderare, quantus ſit feruor in ſæculo, in ſingulis pene rebus, in diuitijs, ſcilicet accumulandis, in honoribus acquirendis, in fama paulò poſt interitura ac mortali, conquirenda & propaganda. Quod ſi ergo filij huius ſæculi tanto conatu in hæc caduca ac labilia feruntur, multò maiore feruore perfe-

ctio à sanctitatis studioso complectenda est, & ita quidem, vt etiam quicquid egerit, viderit, audierit, pulchritudinem perfectionis videatur intueri, illam optare, & toto affectu amplecti, & hoc faciendum esse indicant quoq; exẽpla Sanctorum, qni magno conatu & feruore profectum suum in Spiritu, seu vita spirituali curarnnt, idq; ideò, quia charitas Dei vrgebat illos, vt de se & alijs testatur Apost: 1. Cor: 9. Idcirco enim S. Antonius, vt testatur S. Athanasius in eius vita, præcipiebat Religiosis hominibus: *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere*, quod etiam moriens, quasi testamento legauit eisdem: *Hodie*, inquiens, *vos religiosum studium arripuisse arbitremini, & cæptæ voluntatis fortitudo succrescat*. Propterea quoq; monebat suos religiosos S. Bernardus, Ser: 2. in Vigilia Natiu. *Currite*, inquit, *fratres, currite, non soli Angeli, sed ipse Angelorum creator vos expectat*; *adde*, *& spectat quomodo in via perfectionis progrediamur*. & alibi, *Discimus*, inquit, *magnâ vi & contentione opus esse, vt in via Dei proficiamus, & Deum ipsum acquiramus: non enim leuiter ad perfectionis culmen attingit, sed paulatim virtutum gradibus ad apicẽ charitas, magna contentione peruenit*. & B. P. N. Ignat: l. 5. c. 26. *Cauẽdus*, inquit, *tepor in via perfectionis, nam sicut arcum frangit intensio, ita animam remissio*, vt testatur 5. pagina. Prou: 13. *Anima autem laborans impinguabitur*. Deniq; si *regnum cœlorum vim patitur, & vio-*

 lenti ra-

lenti rapiunt illud, Matth: 11. idq; ideo vt ait ibi S. Hieron: quia in terra generati, cœlorum sedem quærimus, & possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam: profectò multò probabiliùs id dici debet de perfectione, quæ nonnisi tali conatu acquiritur.

Septem autem (præter iam dicta, quæ idē præstabunt, vt patebit consideranti) nos debent monere & instigare, ad adhibendum eum feruentem conatum, & industriam quam diximus, in quærenda & acquirenda perfectione. Primum dignitas, & pulchritudo perfectionis, & alia quæ diximus supra de excellentia eiusdem, de titulis, de proprietatibus, de præmio & pœna. hæc enim omnia ad excitandum hunc feruorem seruient nobis plurimum.

Alterum est, quod nos monere debet, periculum videlicet, quod imminet illi qui feruore quærendæ perfectionis caret; perfectio enim sine pugna spirituali, cum passionibus videlicet inordinatis, cum vitijs quæ insunt nobis, cum natura corrupta, deniq; cum suggestionibus dæmonum, acquiri non potest: pugnam autem spiritualis vitæ inchoare tepidè, & prosequi, est valde periculosum, & prognosticon, vt notat Climachus, quod in ea succumbet ac peribit. Qui enim in ipso ingressu, quasi victū se tradit ignauiæ, efficit ex vna parte, vt illa maiores contra ipsum semper habeat & acquirat vires, ex alia verò parte, vt ipse quotidie ma-

gis, quas

gis, quas habebat amittat, & sic tandem deueniat in eam maledictionem, quam Dauid imprecatus est montibus Gelboe, dicens, 2. Reg: 1. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neq; sint in vobis agri primitiarum*, qui scilicet copiosos & præcoces ferunt fructus. Quia enim Deus odit eorum tepiditatem, non visitabit eos rore & pluuiâ donorum cœlestium, ideoq; nunquam peruenient ad fertilitatem, quæ reperitur in veris religiosis & feruentibus, ac propterea plurimum refert, vt docet idem Climachus, feruenter & inchoare & prosequi hãc pugnam spiritualem. Nam etsi postea obueniat aliquis torpor, memoria prioris feruoris, qui præcessit corrigit eũ, & addit animum ad maiori diligentia reparandum.

Tertium quo moueri debemus est, quod qui feruenter inchoat & prosequitur studium perfectionis, plùs & faciliùs vno die, & actu proficit in perfectione, & in virtutum acquisitione, idq; beneficio feruoris solius, quàm tepidus multo tempore. Vt enim plus viæ conficit, qui veloci equo, vel nauim rapido flumine, vel pedes quidem, sed currendo aliquò, cõtendit; quàm qui communi passu ambulat: sic & qui cũ ardore, magnoq; conatu opera, quibus perfectio acquiritur, efficit. Cuius rei duplex est ratio. Prima; quia feruens actus vel intensus plus præstat multis actibus tepidis ac remissis, ac proinde per feruentem & intensum actum,

plus potest feruens consequi vno die, quàm tepidus ob remissionem suorum actuum, in multis diebus. Secunda, quia Deus optimus maximus feruentem actum & præclarum obsequium, hominum feruentium, copioso & continuato suo fauore & gratia remuneratur, vt eis semper adsit ad progrediendum, imò & ad perseuerandum, & virtutum vsum ac exercitium faciliorem ipsis reddat, atq; si longam in eis exercendis consuetudinem habuissent. Et sanè si inspiciamus vitas & gesta Sanctorum, ita se rem habere, vt diximus, inueniemus. Nã vel vnus solus actus valde feruens, & vnica aliqua insignis de seipso in vitijs, vel in carnis repugnantijs, obtenta victoria, multos eorum ex magna miseria eduxit, & ad magnum profectum in studio perfectionis ipsis suffecit, & deniq; ad alia illustria & excellentia opera, initium illis fuit & continuatio. Obseruare hoc licet in Sancto Martino, qui diuisione pallij quo induebatur, vt pauperis cuiusdã nuditatem tegeret, ad magnam paupertatis perfectionem, & rerum huius mundi despicientiam, ac deniq; ad perfectionem peruenit. Item in S. Nicolao, qui grandem eleemosynam obtulit, quâ tres virgines quæ de castitate periclitabantur, in matrimonio collocauit. In S. Benedicto, qui vt tentationem libidinis vinceret, proiecit se nudum, & vertit inter spinas. In S. Francisco fundatore Franciscanorum, qui leprosi cuiusdã

vlcera exosculatus. In SS. Patiarcha nostro, qui tempestate prægelida, collotenus in stagnū frigidissimum sese immergens, adolescentem impudicitiæ faculis vstulatum, & ad flagitium properantem, in continentiæ semitam, laborioso pariter salubriq; consilio, traduxit: & in S. Francisco Xauerio, qui etiā pus & saniem, quæ ex vlceribus infirmi cuiusdam effluebat, sorbuit, vt se vinceret, & pauperibus libenter inposterum, & sine horrore, sed cum delectatione seruiret. Tandē in S. Thoma Aquinate, qui vno heroico castitatis actu, obtinuit, vt in ea virtute etiam confirmaretur, & ad alias progrederetur. Deniq; id experientia ipsa docet, nam videmus, quando aliquis vehementi & efficaci vocatione, vocatur à Deo ad vitæ suæ prauæ mutationem, aut ad religionis ingressum, eū primis diebus facillimè præstare quæcunq; pia exercitia, ob feruorem, & gratiæ qua fuit præuentus abundantiam. Quod si in iisdem cum eodem feruore pergat, comparabit sibi consuetudinem, cum qua suauiter etiam perseuerabit. Ne tamen excessu quis delinquat, & in hoc feruore in dumeta & errores incidat, celeriùs nimirum currendo in via perfectionis, quàm ferant vires, quod ipsum ex superbia nostra, & instinctu dæmonis oriri potest; necessarius est prudens ac bonus director, à quo in hoc etiam pendeat.

Quartum: quod nos monere debet, est

breuitas & incertitudo vitæ nostræ, & quod ex hac statione excedendum, quando minimè cogitamus; properandum igitur est, ne in exitu vitæ, nos socordiæ nostræ pœniteat. Dolebat constitutus in morte Alexander Magnus, cùm audisset superesse alium nouum mũdum, quòd eum non subiugâsset: dolebunt etiam ij in morte, qui perfectionem non sunt assecuti.

Quintum: quia feruor in actionibus virtutum plurimùm confert virium, & facilitatis ad destructionem prauorum habituum, qui nobis insunt, & nos inclinant ad malum, ac impedimento sunt ad virtutem.

Sextum: quia Deus multum amat feruentes in operibus virtutum, & in quærenda perfectione. Similiter multum amat constantes, & naturæ suæ imbecillitatem prudenter vincentis, seipsos acuentes, & ad solicitudinem excitantes: sicut cõtra, pigros & tepidos detestatur.

Septimum & vltimum, est præmium, quod feruor in operibus virtutum à Deo promeretur, nimirum non solum in hac vita augmentum in virtutibus, & in ipsa perfectione, ac facilitatem in exercitio earundem, vt vidimus in tertio motiuo, nec solum ipsam perfectionem (feruentibus enim tantùm Deus perfectam sanctitatem tribuit, & veram ac absolutam puritatem impertit) sed peculiare etiam quoddam præmium in altera vita, nimirum honorem quendam à Deo præ cæteris Sanctis eximium. Hoc Salo-

mon te-

monteſtari videtur, Prou: 22. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo*, id eſt feruentem, *coram Regibus ſtabit, neq; erit ignobilis*: id eſt ferũes vir in operibus virtutum, Principibus regni cæleſtis, præcipuis videlicet Sanctis, Apoſtolis, & Martyribus, annumerabitur à Deo, & in cœtu pigrorum, & ſocordium non inuenietur; & tunc laus erit vnicuiq; tali à Deo. Cõcludo hoc caput. Feruebant, & ideo feſtinabant filij Remmon, vt occiderent Isboſeth: feruebant & feſtinabant curſores Regis Aſſueri, vt explerent mandata contra Mardochæum, & gentem Iudæorum: feruebat & feſtinabat Antiochus, vt Pentapolim ſolo æquaret: feruebat & feſtinabat Herodias, vt caput Ioannis Baptiſtæ feralem miſſum conuiuio inferret: feruebant & feſtinabant Iudæi, vt Chriſtum occiderent: tandem

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Cur nos etiam eadem ſedulitate & feruore, perfectionem non quæremus?

Quæri hîc poteſt vtiliter, quid ſit feruor hic, in ſtudio virtutum ac perfectionis, & quid ſit eſſe feruentem in talibus. Reſpondet S. Baſil: in reg: breu: interrog: 259. *Feruens eſt qui ardenti ſtudio, & inexplebili cupiditate, & aſſidua diligentiâ, voluntatem Dei facit, in Charitate Chriſti* IESV *Domini noſtri, conuenienter illi, quod ſcriptum eſt Pſal: 112. In mandatis eius cupit nimis.* Ab alijs ſic cõmuniter deſcribitur excitatus in virtutibus & perfectione, eſt qui eam curam & diligenti-

 am, in

am, in operibus virtutum & perfectionis adhibet, quam rebus magni momenti adhibere debet. Hinc autem colligitur, quid sit feruor, feruens enim à feruore est feruens, id est à curâ illâ & diligentiâ, quam diximus. In ipso autem opere virtutis, feruor est modus quidam in illo, qui prouenit ex ea cura & diligentia quam explicauimus. Assimilatur feruor calori & igni, non paruo, sed magno, cum quibus habet magnam similitudinem; nam & feruor in virtute calefacit & incendit animum nostrum, non solum ad opera ipsa virtutis, vt ea faciat, sed vt eo modo faciat, quo res magni momenti fieri debent. Nemo autem in quærenda perfectione, dicat se feruentem esse non posse: facilè enim in hoc redargui poterit. Nam si volet habebit spiritum, id est, affectum, amorem, ac desiderium perfectionis, quo ferueat, aperiendo scilicet os, & respirando, hoc est, petendo à Deo, vt ille det ipsi spiritum suum, non solùm ad salutem, sed etiam ad feruorem: vtroq; enim hoc modo solet Deus dare hominibus spiritum suum, vt notat D. Bernar: Ser: 3. Pentecost.

CAPVT XXX.

Is qui attendere cupit perfectioni, peccata grauia, seu mortalia, necesse est caueat semper, nec vnquam ea admittat.

CErtissima & clarissima est hæc res, quam etiam, nullo excepto, docent omnes Sancti

Patres,

Patres, Theologi scholastici, & Magistri spirituales; ac proinde non ideo tractanda à nobis suscipitur, quasi indigeat probatione, & rationũ confirmatione; sed vt bene expensa ipsa etiam sit ratio, causa, & motiuum ei, qui cupit perfectionem, vt perpetuum bellum peccatis mortalibus indicat, nec vnquam illa committat. Multa probant hanc rem quam asserui; ego octo argumentis contentus ero.

Primum est; quia hic primus gradus est, & infimus in via perfectionis, & ideo ante alios conscendendus, cauere scilicet grauia peccata, & per læthale crimen nunquam velle separari à Deo, firmissimèq; hoc proponere ac decernere. Nam qui perfectionem quærit, si tamen quærit, & se à peccatis mortalibus non abstinet, non solùm claudicat in duas partes, sed & seruit ac viuit diabolo, ac proinde nondum verè iter perfectionis ambulat, necdum primum gradum eiusdem conscendit. Egregiè namque dixit S. Leo, Ser: 1. de Resur: *Moriendum est diabolo, & viuendum Deo; deficiendum iniquitati, vt iustitiæ* (quãtò magis perfectioni) *resurgatur. Occumbant vetera, vt oriantur noua.*

Secundum. Sanctitas, seu gratia habitualis est initium ac fundamentum perfectionis, vt vidimus cap: 2. Supponit enim hanc perfectio, & super eam fundatur. Similiter Charitas & amicitia cum Deo, constituit eandem perfectionem tanquam pars essentialis, vt vidimus

cap: 16.

cap: 16. vtrumq; autem hoc, sanctitatem videlicet, seu gratiam habitualem, & Charitatem ac amicitiam cum Deo, euertit funditùs, & tollit peccatum mortale, vt certissimum est ex Theologia, & Sacrâ Scripturâ. Cauendum ergo semper peccatum mortale, ei qui cupit extruere fabricam perfectionis.

Tertium. Volentibus assequi vitam æternam, Christus Dominus tanquam primum & necessarium proposuit, custodiam mandatorũ; & quod idem est, grauem transgressionem eorundem, per peccata præsertim mortalia, inhibuit. Eis verò, qui etiam perfectionem cupiũt adipisci, suasit præterea obseruationem eorũ, quæ non sunt præcepta: quo apertè indicauit, volenti assequi perfectionem, peccata mortalia, primò, & quàm maximè esse cauenda.

Quartum. Peccata etiam leuia, id est venialia, magnoperè impediunt perfectionem, & obsunt illi, vt videbimus tertio abhinc capite; quanto ergo magis grauia peccata, id est lætalia id præstabunt; & non solùm, impedient acquisitionem perfectionis, sed & acquisitam iam dissoluent, & omnem inchoationem eius destruent.

Quintum. Perfectio maximè acquiritur per vnionem hominis cum Deo, id enim præcipuè requirit, vt vidimus supra; at peccatũ mortale diuidit & separat hominem à Deo, teste Isaia cap: 52. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos*

& Deum,

& Deum: & elongant eundem ab homine; *longè enim eſt Deus ab impijs*, Prou: 15. Quàm maximè igitur cauendum eſt illi, qui cupit perfectionẽ, tale peccatum.

Sextum. Perfectio nec acquiritur nec quæritur, ſine maximis Dei beneficijs, & peculiaribus fauoribus eiuſdem, vt vidimus ſupra. Quomodo verò his proſequetur Deus inimicos ſuos, quales ſunt omnes, qui peccato mortali ſe inquinarunt, quod Deus maximè odit, ſicut & facientem illud? *Odio* enim *ſunt Deo, impius & impietas eius*; Sap: 14.

Septimum. Peccatum mortale ligat hominem, ac proinde impedit ne ambulet, etiãſi conetur, in via perfectionis. Docet id S. Aug: 8. Confeſ: c. 5. & fatetur de ſe: *Suſpirabam ego ligatus non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate, velle meum*, ſcilicet malum, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me.* Idem aſſerit & D. Chryſoſt: hom: 9. in 1. ad Cor: *Barbarum*, inquit, *peccatum eſt, quod in animam ſemel captam, etiam tyrannidem exercet, & certiſſimam perniciem ijs, qui ipſum ſuſcipiunt, adfert.*

Octauum & vltimum. Quia peccatum læthale efficit, vt opera bona & heroica, quæ aliquis exiſtens in ſtatu talis peccati, facit, non promoueant vllo modo perfectionem, nec ad eam aſſequendam quicquam præſtare valeant. Colligitur id ex Apoſtolo, qui 1. Cor: 13. dicit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, ſi diſtribuero*

in cibos

in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeam, Charitatem autem non habuero, (quæ per peccatum mortale amittitur, & cum illo consistere non potest) *nihil mihi prodest.* Ingrata sunt Deo etiam bona opera (Charitate excepta & contritione) hominis existentis in peccato mortali, nec meritoria gratiæ vitæ æternæ, & perfectionis. Interrogauit Aggæus Propheta, iussu Domini, Sacerdotes, c. 2. *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid quod tetigerit, contaminabitur?* illisq; respõdentibus, quia *contaminabitur*, intulit Propheta: *Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerunt tibi, erunt contaminata. Quid hæc significant,* inquit S. Hieron: ibi; *nisi quod pollutus peccato mortali, polluat etiam aliquo modo ipsa bona opera; & faciat, vt ea egressa ab ipso, tanquam ab immundo, minus grata reputentur à Deo. Quamuis enim,* verba sunt Sancti, *sancta videantur specie sui, quæ offeruntur à talibus*, id est ab immundis, *tamen quia tacta sunt ab eo, qui pollutus est in anima, omnia polluuntur.* Vt proinde rectè scripserit S. Ambr: in Psal: 35. *Vbi organũ vitiosum, quomodo cantus potest esse non vitiosus?* Sed homo peccato mortali maculatus, organum vitiosum est; opus igitur bonum, quod prodibit à tali homine, ingratum Deo sit, est necesse.

CAPVT XXXI.

An Perfectio possit stare simul cum peccato mortali.

Respon-

RESpondeo, ex dictis capite præcedenti, manifestè constare, perfectionem etiam de absolutâ Dei potentiâ, non posse simul stare cum peccato mortali. Sanctitas enim, seu gratia habitualis, quæ est fundamentum, vel dispositio necessaria, per quam anima disponitur ad perfectionem recipiendam, vt vidimus, saltem de ordinaria Dei potentia, iuxta doctrinam cõmunem Theologorum, iñ 1. 2. q. 111. non potest stare cum peccato mortali. Similiter Charitas Theologica, & amicitia cum Deo (est enim Charitas Theologica propriè amicitia erga Deum, vt docet D. Thom: 2. 2. q. 23. ar: 2.) quæ tanquam pars essentialis, constituit eandem perfectionem, vt vidimus supra, neq; de potentiâ Dei absolutâ, iuxta communem Theologorum doctrinam, in 2. 2. q. 23. potest simul esse cum eodem peccato mortali, quod vel intrinsecè vel in re saltem, est auersio à Deo, & dissociatio amicitiæ cum eodem, vt docent Scholastici in 1. p. Igitur neq; ipsa perfectio poterit simul manere etiam de potentiâ Dei absolutâ, simul cum peccato mortali, tam actuali, quàm habituali: id enim vtrumq; probat ratio allata à nobis, & ita docent SS. Patres, Theologi Scholastici, & Magistri vitæ spiritualis, vt videre est apud Crombetium lib: 1. de Studio perfect: cap: 34.

CAPVT XXXII.

Etiam peccata venialia, cauenda sunt & declinanda, quærenti perfectionem, & proficienti.

QVanquam amatori perfectionis, non difficilè est id persuadere: afferre tamen rationes, quibus ex hoc solo capite adducatur ac impellatur, non tãtùm perfectionis studiosus, sed quiuis alius, qui attendere tenetur, vt leues etiam culpas semper timeat, & quantum potest, & ad id gratiâ diuinâ adiuuatur, euitet, fugiat, ac detestetur, perutile est.

Prima igitur ratio sit, quia hic est secundus gradus in via perfectionis, cauere & abhorrere etiam à leuibus peccatis, quæ licet omnia, omninò in hac vita mortali caueri non possint, vt vidimus supra; possunt tamen quotidie minui, possunt in dies leuiora fieri, possunt ex malitia, & ex professo, & ex merâ oscitantiâ non committi, deniq; quæ ex ignorantia & infirmitate fiunt, possunt statim confessione purgari, lachrymis ablui, & satisfactione compensari.

Secunda; quia peccata etiam leuia, impediunt perfectionem, & iter retardant ad eam; omne enim peccatum est impedimento perfectioni. Et propterea Ricar: Victor: ait in Cant: c. 9. *Anima quæ ad sublimiorem gradum vult conscendere, etiam multitudinem venialium, & minores con-*

cupiscen-

cupiſcentias debet cauere, vt proficere, & ampliorem gratiam mereatur accipere. Debet enim vitare, cogitationes carnales & vanas, item cogitationes ſuſpitionis, iræ & amaritudinis, & huiuſmodi. Conſolationes etiam terrenas, in cibo videlicet & potu, in colloquio, in vidẽdo, in audiendo, in curioſitate, in veſtibus, in ſomno, in qualibet libertate; quia quantum delectationes iſtas mortificat, & reſpuit, ac carnaliter conſolari renuit, tantum ſpiritualiter merebitur conſolari, & in gratia viuificari. Quantum ab iſtis vacuum cor reperit gratia, tantum replebit, quantum caduca iſta aliquis contemnit, & ſupergreditur, tantum aſcendit: quia tantum de infimis ad ſuperna pergit. Poſt mortificationem itaq; maiorum peccatorum, etiam minora mortificare & calcare oportet proficientem animam, & ad ſpiritualem vitam conſcendere volentem. Qui vult igitur ex ſententia Ricardi ad perfectionem aſcendere, debet etiam leuia peccata cauere, idq; ideo quia illa impediunt perfectionem. Impediunt autem, eò quòd ligent proficientem, ac proinde moram & tarditatem ei adferunt, ne pergat, vt cæperat, & vt par eſt, in virtutũ ac perfectionis curriculo. nam peccata venialia, ſunt veluti compedes inductæ in pedes proficientium, vt vel in via conſiſtant, vel certè ingrediantur tardiſſimè: ſunt vincula quibus conſtringuntur, ne ruere poſſint in amplexum Chriſti: ſunt deniq; veluti amari quidam ſucci, quibus aſpergit ſathanas cibos menſæ Chriſti, vt non guſtent proficientes quàm ſuauis ſit Dominus, & in perfe-

ctione crescant. Nec dicat quis, non magnum est esse à dæmone ligatum, teneri peccato veniali, debile enim est hoc vinculum, &c. Respondet S. Dorotheus Ser: 11. *Sicut parum iuuat aquilam caput & alas habere liberas, si venator vel ex vno vngue eam captam teneat; hoc enim sufficit, vt postea & plumas euellat, & caput ipsum amputet: ita etiam quamuis sis in gratia Dei, & vir spiritualis, si te dæmon vel ex vnâ inordinatâ passione, quæ sit venialis, teneat; periculum tibi imminet pereundi. nam eâ ipsâ passione disponet tibi mille laqueos, quibus te spoliet deuotione, meditatione, & gratia Dei.*

Tertia: quia leuia etiam peccata, minuunt Charitatis ardorē seu feruorem, vt docēt Theologi, & simul etiam in alijs actibus quibus proficimus, qui feruor, vt vidimus supra, ad acquisitionem perfectionis requiritur.

Quarta: quia peccata venialia maculant & fœdant animam committentis illa: omne enim huiusmodi peccatum, vt docent Theologi, est macula, quæ vna cum fætore, qui procedit ex illa, non solum displicet Deo; sed & indignationem illius excitat. Maculat etiam huiusmodi peccatum non solum perfectionem ipsam, quæ vt vidimus est absoluta, & omnimoda sanctitas huius vitæ, sed & profectū in illa.

Quinta: quia peccata etiam leuia impediunt aliquo modo & retardant influxum gratiarum cœlestium, quibus proficiens indiget ad proficiendum. Quanquam enim per nullum

peccatum

peccatum veniale efficiatur Deus inimicus homini; læditur tamen eo, offenditur, & ipsi indignatur propter causam dictam in præcedenti ratione. Nec immeritò, tanta etenim quoduis peccatum veniale, est offensa Dei, vt etiam pro salute totius mundi, committi non debeat. Et, *Si Deus*, vt docet Gerson de mystica Theolog: pract: consid: *6. punit peccata venialia distractionibus & desolationibus in oratione: quantò magis puniet eadem subtractione gratiæ, & auxiliorum necessariorum ad proficiendum.*

Sexta: quia peccatum veniale ipsam etiã actionem bonam, in qua committitur, (vt cum v. g. aliquis tepidè orat, vel distractè, aut sine deuotione celebrat, vel non sine repugnantia & stridore alicuius murmurationis obtemperat) inficit, debito splendore ac perfectione priuat, ac deniq; facit, vt ipsa non ita promoueat perfectionem, vel profectum illius, sicut promoueret, si nullam huiusmodi maculam in se haberet. Ita docent omnes Theologi. An verò peccatum veniale efficiat, vt huiusmodi actio bona, prorsus non sit meritoria augmenti gratiæ perfectionis, & vitæ æternæ (quod docent nonnulli Theologi, & Magistri spirituales) non est vsq; adeò certum; indicari tamen videtur à Diuo Gregorio 21. moral: c. 40. *Incrementum*, inquit, *meritorum*, *quod bonæ vitæ studijs augetur, plerumq; mali admixtione retrahitur.*

Septima: quia peccata venialia, si quis in

ea nullo negotio, vel etiam data opera prolabitur, disponunt hominem ad peccatum mortale, quod quantùm obsit perfectioni, vidimus, ac proinde vel ex hoc capite, peccata etiam leuia sunt vitanda. Quod verò id præstent huiusmodi peccata, docent vnanimi consensu SS. Patres, qui videri possunt apud Aluarez tomo 1. & 2. Ego D. Chrysostomi in Epistolam ad Galat. & B. Iustiniani de gradibus perfect: cap: 1. testimonijs contentus ero. Prior ergo sic ait: *Quia homo non adhibet eam, quam par est, curam ad vitanda peccata venialia, aditum facit grauioribus*: quod probat similitudine vulneris parui, hoc enim neglectum mortem aliquando accersit: *eodem modo*, inquit, *fit in anima eorum, qui exigua peccata parui pendunt, ad maiora inuitantur*. Posterior verò sic habet. *Porro licet veniale delictum, se perpetrantem æternæ mortis, nequaquam facit reum, maculat nilominus animam, feruorem charitatis imminuit, potentiam animæ in bonis operibus debilitat, retardat à gloria, & sæpè fit mortalis occasio. Sedit populus*, vt habetur Exod: 32. *manducare & bibere*, quod non erat magnum & exitiosum, *& surrexerunt ludere*, id est, idolis immolare. Ecce paruum peccatum, occasio fuit magni; & sicut morbus disponit ad mortem, ita peccata venialia frequenter disponunt paulatim ad mortalia. Et id quoq; videtur intelligere sacra Scriptura, cum Ecclesiast: 19. dicit. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

Octaua: quia peccata, etiam leuia, impediunt tran-

unt tranquillitatem nostræ mentis. Conscientia enim recta, etiam propter talia peccata admissa, reprehendit mentem nostram, quæ huiusmodi increpatione confunditur, vt ipsa experientia docet. Lege Sapientem Eccles: c. 31. describentem beatum diuitem, & sic dicentem: *Beatus diues qui inuentus est sine macula.* Diues hic non is est, qui magnam copiam auri, argenti, & aliarum diuitiarum possidet; talem enim verè sapiens & iustus, diuitem non vocaret: sed qui vt S. Ambrosius ait, *diues est Deo, qui virtutem & sanctitatem colit, qui virtutes comparat*, qui perfectioni quærendæ sollicitè studet. Talis ergo diues, tunc beatus est, cùm sine macula est; quando scilicet leues etiam maculas non committit, & quantum potest declinat. Idem verò est beatus, quod & tranquillus, aut se necessariò sequũtur: beatus enim absolutè esse non potest, si mente non est tranquillus. Igitur maculæ etiam leues, quia beatitudinem impediunt ac lædunt, etiam tranquillitatem mentis nostræ turbant. Sed & S. Dauid beatum, & consequenter tranquillum, non nisi eum appellat. *Psal: 136.* qui leuia etiam peccata fugit & detestatur, & paruos etiam motus sensualitatis, insurgentes reprimit. *Beatus*, inquit, *qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Qui sunt*, inquit D. Augustinus super illum Psalmum, *paruuli isti Babiloniæ? &* respondet esse nascentes malas cupiditates: *Sunt enim qui cum veteri cupiditate rixantur; quando nasci-*

tur cupiditas, antequam robur faciat aduersum te mala consuetudo, cùm paruula est cupiditas, elide illam. Sed times ne elisa non moriatur, ad petram elide: petra autem erat Christus. Quod si quærat quis, quid sit hoc imperfectiones paruulas, ad petram, quæ est Christus, vt docet S. Augustinus, allidere. Respondeo, non aliud esse, quàm Christi imitatione, & auxilio ab eo nobis dato, necare eas, hoc est mortificare, & insuper cauere. Habemus igitur, leuia etiam peccata quietem nostræ mentis turbare; hoc verò ipsum, magno solet esse proficienti impedimento ad perfectionē, vt sæpius supra vidimus. Concludo. nemo nostrum dicat inposterum, non est magnum quid committere peccatum veniale, & in eo perseuerare: cùm viderimus tanta mala ab eo procreari, in quæ vt non incidamus, illud quantum possumus, & ad id gratiâ Dei adiuuamur, vitemus.

CAPVT XXXIII.

An peccata venialia proficientium & perfectorum, sint grauiora quàm imperfectorum?

RESpondeo, esse ob aliquam circumstantiā grauiora: *quò enim*, vt benè docet noster Rosig: l. 2. de disc: Christ: perf: c. 7. *illustrior est qui peccat*, (qualis est proficiens & perfectus) *eo magis extat labes*; id est, maior est & grauior, quâ aspergitur & maculatur peccando. Et hoc

quoq;

quoq; docet S. Isidorus, l. 21. de summo bono, c. 18. *Peccata*, inquit ille, *quæ incipientibus leuia sunt, perfectis viris grauia reputantur; tantò enim maius cognoscitur esse peccatum, quantò maior qui peccat habetur: crescit enim delicti cumulus, iuxta ordinem meritorum*, (id est beneficiorum acceptorum à Deo) *& sæpè quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.* Et hanc causam existimo esse, cur S. Bernar: lib: 2. de Considerat: scripserit: *Inter seculares nugæ sunt nugæ, in ore autem Sacerdotis sunt blasphemiæ.* Recolendum hoc igitur est animo sæpè viris perfectis, & proficientibus, imò & omnibus Religiosis, qui maiora præ alijs à Deo beneficia acceperunt, & in altiori ac illustriori statu sunt collocati, & deniq; qui tenentur tendere ad perfectionem, vt tantò magis à patrandis deliberatè, etiã minimis peccatis abstineant.

CAPVT XXXIV.

Proficienti extirpanda sunt necessariò vitia, & priùs quàm virtutes acquirendæ.

NOmine vitij, intelligo propriè vitium: nimirum affectionem prauam acquisitam, non transeuntem, sed manentem in anima, eãdemq; ad aliquod opus iniquum, & quod idem est peccati, inclinantem. Solet enim interdum nomen vitij, etiam defectibus artis, aut naturæ, & ipsis actibus vitiosis, seu peccatis attribui; sed minus propriè. Iam verò necessarium esse

proficienti, idq; respectu perfectionis (de tali enim solum necessitate loquor) vt radicitùs extirpentur vitia, quæ ipsi insunt, hæc ostendunt.

Primum. Quia ita faciendum esse docent SS. Patres, & Magistri vitæ spiritualis: vnum ex illis, & alterum ex his, confirmandæ rei causa, adducam. S. Basilius instruens eum, qui vitam Religiosam amplectitur, ita de institutione Monachorum loquitur: *Christianus*, inquit, *qui ingreditur genus vitæ, quod est secundum Philosophiam, id est, secundum virtutis perfectionem; vitiosas animi affectiones, diuersas ac varias, quibus illius anima infici solet, ab se segreget.* Cassianus verò coll: 14. c. 3. ita de hac re scribit: *Actualis perfectio duplici ratione subsistit. Primus modus eius est, vt natura omnium vitiorum, & ratio curationis cognoscatur, quomodo scilicet extirpari debeant. Secundus autem, vt discernatur ordo virtutum, earumq; perfectione mens nostra informetur.*

Secundum. Quia nisi bellum aduersus vitia suscipiatur, & illa funditus exterminentur, impossibile est proficere, & perfectionem acquirere; idq; partim ideò, quia vitia impediunt perfectionis acquisitionem, partim verò alijs de causis, quæ patebunt ex seqq: probationibus.

Tertium. Quia si peccata non solum grauia, sed etiam leuia, tolenda sunt, & cauenda ei, qui cupit proficere, vt vidimus in superior: pari quoq; ratione, vitia quæ illi insunt; cùm sint habitus mali, destruenda sunt, imò potiori

iure; quan-

iure; quandoquidem *vitium quodcunq;*, vt ait S. Bern: Serm: ad Fratres de monte Dei, *est priuatio virtutis, & origo peccati*; & semper nos ad peccatum inclinat, incitat, ac trahit. Et iuxta S. Dorot: Serm: II. ad Monachos, faciat hominem *mancipium peccatorum*: ac proinde difficulter vitium vincatur: quod probat ille exemplo cuiusdam Monachi.

Quartum. Quia virtutum acquisitio necessaria est ad proficiendum, & ad acquirẽdam perfectionem; vt patet ex allatâ definitione perfectionis suprà, & ex testimonio Cassiani, paulò ante citato. Nulla autem virtus acquiri, & animæ nostræ inseri potest, si vitium contrarium illi persistat in nobis, & in cordis nostri recessibus retineatur. Cuius rei duplex est ratio. Prima: quia omne vitium impedit virtutis sibi oppositæ, atq; inimicæ, ingressum & fundationem, idq; tum pro prio conatu, tum alieno; nimirum medijs passionibus, & inordinatis affectionibus, quas vitium fouet ac corroborat. Astutum est profectò quodlibet vitium, atque proteruum, quod ne se periculo extinctionis videat expositum, mille modis virtutis contrariæ studium ac industriam eludet. Secunda ratio: quia principium acquirendæ cuiuscunq; virtutis, ab odio, & expugnatione vitij oppositi, si inest, sumendum est: quod docuit etiam Ioannes Abbas Cizicus, vir sanctissimus; interrogatus scilicet, quonam pacto virtutes acquirantur, re-

ſpondit: *Qui virtutem poßidere voluerit, niſi prius oderit contrariam ex diametro malitiam virtuti, eam acquirere ac poßidere non poteſt.* Si igitur quis humilitatem habere deſiderat; ſuperbiam ſemper execretur: ſi temperantiam; odio habeat intẽperantiam, &c. eijciendæ ſunt profectò ſentes vitiorum, & euellendæ, vt pulcherrimus flos virtutis aſſurgat. *Diligenter*, ait Salomõ Prou: 24. *exerce agrum tuum, & poſtea ædifices domum tuam.* Nam niſi rudera vitiorum abſtuleris, firmam virtutis domum ædificare non poteris: ab hac enim vitiorum extirpatione, totus profectus perfectionis dependet: & facillimum erit, adiuuante gratiâ Dei, vitijs exterminatis ac deletis, virtutes inſerere, & perfectionem comparare. Hinc verò patet, priùs homini deſudandum eſſe, in fugandis vitijs, quàm in conſectandis virtutibus. Et hoc quidam doctiſſimi viri docent, intellexiſſe Deum, cùm dixit per Hierem: c. 1. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna vt euellas, & deſtruas, & dißipes*, nimirum vitia (vt explicat etiam Caſſian: l. c.) *& ædifices, & plantes,* nimirum virtutes. Primo loco, inquiunt, iubet euellere; poſtmodum plantare: quia prius vitia debent cedere, vt virtutes contrariæ illis introducantur. Sed & ratio, id faciendum eſſe oſtendit. Ordo enim naturæ poſtulat, vt purgatio præcedat, illuſtratio & exornatio ſequatur; ac proinde priùs vitia ſunt pellenda, ac propulſanda, quàm virtutes acquirendæ.

Quanquam illud sciendum est, neminem oppugnare vitium, quin contraria illis virtus intendatur, & attingatur: oppugnationes namque illæ, potissimum sunt virtutum actus, vt videbimus cap: seq.

Quintum. Quia pax & quies interior, seu tranquillitas animi, quæ plurimùm necessaria est ad profectum in perfectione, vt sæpiùs vidimus, haberi non potest, nisi vitia, quæ insunt nobis, funditùs destruantur. Inquietant enim semper illa cor & animam nostram; quod egregiè docet S. Doroth: doctr: 12. *Vt corpus*, inquit, *melancholicum & distemperatum, continuè ab ipsâ melancholiâ & distemperantiâ vritur, & affligitur; sic anima vitijs subiecta, semper à malitia & iniquitate torquetur.* Cuius rei triplex causa adfertur: Prima, quia *vitia*, vt ait S. Chrysost: hom: 18. in cap: 6. ad Ephes: *Sunt hostes nostri, & gentes nobis infensæ atq; inimicæ, de quibus in Deut: c. 7. & Exod: 23. dictū est: Non inibis cum illis fœdus, nec misereberis earum, neq; sociabis cum eis coniugia. Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me.* Sunt autem vitia hoc pacto hostes nostri, quia aduersantur naturæ, & rectæ rationi nostræ, contra eam insurgunt; ac naturâ suâ sunt procliuitates & inclinationes, inclinantes nos & pellicientes ad opus iniquum; & deniq; excitant in nobis varios motus, & passionum murmurationes, aut rebelliones. Verissimè conuenit illud vitijs, quod dicitur Esdræ 4. de Israëlitis: *Gens ista à diebus anti-*

bus antiquis, aduersum Reges rebellat, & seditiones ac prælia concitantur in ea. Iam verò cùm isti hostes nostri sint intra nos, quomodo illis præsentibus non erit perturbatio in corde nostro? Secunda causa, cur vitia torqueant eum cui insunt, quia ipsa inter se sunt contraria sibi & inimica, ad contrariaq; inclinant; vnde necesse est, vt cor nostrum pugnam eorum sentiat; & maximè ideò, quia simul contraria præstare, & omnibus morem gerere non valens, vt ab illis inquietetur est necesse. Et volens obedire, v. g. iræ, hypocrisiam lædet, quæ vrget illum, vt ad acquirendam famam sanctitatis, optet haberi mansuetus, & immemor iniuriarum. volens verò ab hypocrisi, & fictâ sanctitatis imagine non discedere, iræ atq; indignationi non minimam iniuriam faciet. Tertia causa, quia vitia sunt fames quædam canina, sitisq; rabida rerum omninò contrariarum perfectioni, nimirum voluptatum, honorum, fraudum, & aliarum rerũ; quam famem comitatur simul inquietudo, ac nausea rerum cælestium & perfectionis. Insaturabilia sunt profectò vitia, sicut illa quatuor, de quibus ait Salomon Prou: 30. *Infernus, os vuluæ, & terra quæ nunquam satiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, sufficit;* sic v. g. ignis iræ & choleræ nunquam expletur, quod idem de alijs vitijs affirmare licebit. Concludamus itaq; hoc argumentum quasi Corollario, verissimum esse, quãdiu vitia in corde nostro permanserint, illud pa-

catum esse non posse. Tunc enim in corde est pax, quando perturbationes eius componũtur, & caro cum spiritu conciliatur. *Et ibi pax esse non potest*, inquit S. August: de Ciuit: Dei, *vbi non est subiectio repugnantium.* Nec putet quis placari posse vitia à nobis, & pacem cum illis iniri: hoc enim est contra naturam vitiorum, quæ semper quoddam sibi in nos Tyrannicum dominium vendicant. Et sicut nemo Regulum in sinu reconditum ita sibi subijciet & domabit, ne illum mordeat; nec immanem leonem in conclaui secum positum, ita cicurabit, ne illum morsibus & vnguibus aliquãdo impetat: sic nec vitiosum affectum seu habitum, si integer in nobis maneat, poterit sic subijcere, ne ab eo lædatur.

Sextum. Quia ad acquirendam perfectionem opus est feruenti desiderio, magno conatu, & robore, seu viribus animæ, deniq; fortitudine, vt vidimus; hæc verò difficilè est habere, quamdiu insunt nobis vitia. Est enim vnumquodq; vitium, ægritudo animæ nostræ, quandoquidem virtutis sanitatem eliminat, & debilem ipsam reddit. Hanc ægritudinem testatur S. August: intellexisse S. Dauidem, Psal: 6. cùm dicebat ad Deum: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam turbata sunt ossa mea.* Et, *Anima mea turbata est valde, sed tu Domine, vsquequo?* *Nam quis non intelligat*, inquit ibidem S. Doctor, *significari illis verbis, animam luctantem cum suis morbis, &c.* Morbi autem illi nõ

erant pec-

erant peccata actualia, in quæ inciderat S. Propheta, nam obtinuerat iam à Deo remiſſionem illorum; ſed habitus mali, qui ex illis orti ſeu progeniti remanſerant.

Septimum. Quia vitia plurimùm nos impediunt, ne poſſimus ambulare per viam perfectionis; idq; ideò, quia ſunt veluti compedes, & catenæ quædam, ligantes animam noſtram. Affirmat hoc S. Bernar: loco cit: *Vitium*, inquit, *eſt catena, & vinculum, animam in carcere rerum terrenarum detinens.* Vitium eſt laqueus, de quo dictum eſt Pſal: 141. *In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.* Idem quoq; aſſerit S. Auguſt: 8. Confeſ: c. 5. *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me; quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo,* nimirum vitium ſeu habitus malus; *& dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt quaſi neceſſitas.* Conſuetudo enim velut altera natura; aut (vt idem Sanctus ait lib: 6. Muſicæ) quaſi affabricata natura. His ergo quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus. Qui volunt igitur proficere, firmiter ſtatuant illud neceſſe eſt, quod ſtatuerat ſanctus Propheta, Pſal: 2. *Dirumpamus vincula eorum,* id eſt vitiorum, *& proijciamus à nobis iugum eorum.* Vitia enim ſunt etiam onera, vt iam videbimus.

Octauum & vltimum. Qui vult perfectionem aſ-

onem assequi, leuis esse debet, nec onustus, nam & per viam arctam ac angustam virtutum, debet incedere, & non segniter ire, vt vidimus. Id autem nullo modo præstare poterimus, quādiu vitia insunt nobis: sunt enim illa iugum molestum, & onera grauissima. Zacharias Propheta cap: 5. talento plumbi peccatum comparat, propter grauitatem. Iam verò si longo tempore peccatis quis assueuit, quot talentis plūbi se onerauit? quomodo igitur pondere consuetudinis oppressus assurget? quomodo ad montem perfectionis euolabit? Quare D. Gregor: l. 26. moral: c. 31. *quædam*, ait, *quasi conclusionis angustia est, ab opprimente malâ consuetudine exurgere velle, nec posse; iam quidem desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere; præire corde, nec tamen sequi opere, atq; contradictorem perpeti semetipsum.* Hæc ille. Eadem, cum gemitu, commemorat S. August: l. 7. Confes: c. 17. alloquēs Deum: *Rapiebar*, inquit, *ad te decore tuo, moxq; diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc erat consuetudo carnalis.* Consilium igitur salutare est Prophetæ Psal: illo 2. *Proijciamus à nobis iugum ipsorum*; id est, funditùs extirpemus vitia. Non sufficit enim putare tantùm & præcidere; nam vt S. Bern: s. 58. in Cant: *Credite mihi*, inquit, *& putata repullulant, &c.* Herbæ quoq; aut arbores, quæ radices egerunt, quātumcunq; eas quotidie tondeas, aut præcidas, ni radicitùs euellantur, non emoriuntur, sed opus

est ferro, quod ipsis radicibus admoueatur. Hoc modo igitur agēdum etiam cum vitijs, nec parcendum vllo modo, quia hostes non habet homo peruicaciores sibi his. Et certè pugna cū vitijs grauior est, quàm cum dæmonibus, vel hominibus. *Grauiores inimici sunt praui mores*, inquit S. Ambr: lib: de Patriar: Ioseph, c. 5. *quàm hostes infesti.* Et ratio est: *quia intus est hæc pugna*, vt idem inquit, l. 2. de Dauid, *ideò grauior eius, quàm illius qui foris dimicat.* Et S. Aug: serm: 25. de diuer: *Graue bellum est, & quod molestius, internum.*

Ex his omnibus colligitur, necessarium esse proficienti, vitiorum naturas, gradus, atq; actus cognoscere ac inuestigare. Quomodo enim vincetur hostis, qui non agnoscitur? Accedit, quod vitia, aliqua saltem, sæpè se virtutes esse mentiuntur, vt docet inter alios D. Gregor: lib: 3. mor: c. 1. & 9. & explicat signatum hoc esse in amicis Iob c. 2. Idem asserit D. Basil: lib: de Vera Virgin. *Proxima*, inquit, *& velut contigua ianuis sunt quædam vitia virtutibus. Hoc modo valde sunt propinqua domus & ostia, zeli & iræ, liberalitatis & prodigalitatis, spiritualis amoris & carnalis, &c.*

Dices, quo pacto, seu vnde quis cognoscet, vitium aliquod sibi inesse. Respondeo præmissa lectione Authorum, qui scripserunt de vitijs, quod inter alios eggregiè præstitit noster Aluar: tom 2. p. 2. Primò ex consideratione naturæ, seu definitione vniuscuiusq; vitij, & inuestigatio-

uestigatione ac inspectione, an illa prædicata in se inueniantur. Secundò, ex actibus proprijs illius vitij internis & externis. Tertiò, ex caussis proprijs illius, & alijs signis. Quartò, ex propensione & facilitate: vtrum scilicet sentiat in se propensionem & inclinationem ad actus illius vitij. Quintò, ex frequentatione actus illius vitij. Sextò, ex collatione cum viro spirituali gnaro vitiorum, vel cum amico fideli, qui illum obseruet. Septimò & vltimò, mediâ oratione & lumine Dei, quod postulabit dicens: *Illumina Domine tenebras meas.* exemplum esto: vt cognoscas an insit tibi vitium vanæ gloriæ, scito illud, sic definiri, *est immoderatus appetitus laudis humanæ.* Signum illius est nimia sollicitudo, v. g. vt feruidus Concionator, vel Minister appareat. Item, opera bona ad captandam laudem humanam inflectit, &c. Causa vanæ gloriæ, est amor proprius, &c.

CAPVT XXXV.

Quonam pacto vitia superantur.

QVoniam non cuilibet ratio, astutissimos & contumacissimos hostes, nimirum vitia, id est, prauos, aut vitæ superioris, aut naturæ corruptæ habitus, pellendi & euellendi peruia est; hîc illam explicabimus: quam si seruauerimus, sinè dubio cum auxilio diuino victoriâ potiemur. Nihil enim tam arduum, firmum, ac

inueteratum eſt, quod Chriſti virtus non deprimat, generoſus animus non comminuat, cura, induſtria, & conſtantia non labefactet.

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo. Euelluntur ſenſim arbores altiſſimæ, & lapides ac metalla, quantumuis rudia leuigantur, complanantur, & expoliuntur.

Principio igitur, ille qui cupit ſpirituale hoc bellum aduerſus vitia mouere, eaq; è domo cordis ſui eijcere, odium ac implacabilem indignationem, aduerſus ea concipiat, vt vidimus ſuperiori capite in quarto argumento: quod non erit difficile, ſi eorum deteſtandam malitiam, potiſſimùm verò ea, quæ de illis eodem capite diximus, vbi etiam neceſſitatem huius odij oſtendimus, conſiderauerit. Nam vitia ſunt morbi, & vincula animæ noſtræ, origines peccatorum, fontes inquietudinum, fomenta affectuum inordinatorum, hoſtes Dei, noſtri, & virtutum. Deniq; ſunt milites dæmonum, & acies ab aduerſario immiſſæ, vt parta noſtra bona diripiant, & nos cæleſtibus bonis ſpolient. Hoc vltimum docet, non ſolum Caſſianus collat: 7. cap. 25. ſed & Sanctus ille Monachus Ioannes in Thebaid. *Quamdiu*, aiebat ille, *vitia inſunt nobis, tam diu à periculo non ſumus liberi: vitia enim inhærendo animæ noſtræ, cùm partes diaboli teneant, facilè aperient oſtium animæ, & facient vt dæmon ingrediatur.* Imò Caſſianus loco cit. affirmat vitia peiora eſſe dæmonibus, &

miſerabi-

miserabilius esse à vitijs, quàm à dæmonibus corporaliter possideri.

Ex hoc verò vitiorum odio, ingens seu vehemens desiderium vincendi illa, eliciendum est. Et hoc est secundum requisitum. Non est autem res difficilis hoc facere: quis enim vincere suos hostes, quos nouit esse hostes, non optet? quis miserrimam seruitutem excutere, & suæ salutis infestissimos aduersarios profligare non cupiat? Deniq; quis non volet liber esse ab ægritudinibus, inquietudinibus, & in pace viuere. Ad hæc autem præstanda, seu obtinenda, non sufficient desideria tepida, talia enim nunquam ad opus prodibunt.

Desiderium autem huiusmodi, excitabit vigilantiam, curam magnam, diligentiam, & deniq; constantiam, seu subsistentiam ad superandas difficultates, ac animum ad patiendum, & molestias ferendas, (quæ omnia tertio loco requiruntur) adijciet. Nemo quippe de hoste dormiens acerrimo trophæa constituit; nemo inimicum fortiter resistentem, sine difficultate prostrauit.

Ardentibus his desiderijs, & animo sic excitato, adiungendum est propositum cauendi vitium, & assidua oratio, qua demissè de nobis sentiendo, nos nimirum auxilio Dei, non solùm indigos, sed & esse indignos, instanter ab ipso petamus, vt nobis aduersus vitia pugnãtibus victoriam concedat: & sic in ipsius auxi-

lio speremus. Nam ipse est, qui sicut immittit desiderium pugnandi, & vincendi voluntatem, ita etiam dat nobis victoriam. Dicere possumus Deo illud ex Psal: 43. *Non in gladio*, nostro scilicet, *præsumimus poßidere terram. & brachium nostrum non saluabit nos; sed dextera tua Domine, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Non in arcu nostro speramus, & gladius noster non saluabit nos. Tu es ipse rex noster & Deus noster, qui mandas salutes Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu: & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Præclarè explicat hoc S. Augustinus in Psal: 99. *Pugnamus*, inquit, *quotidie in corde nostro. vnus homo in corde suo, cùm turba luctatur: suggerit auaritia, suggerit libido, suggerit lætitia popularis. omnia suggeruntur, ab omnibus se continet, omnibus respondet, & ab omnibus auersatur, difficile est vt non ab aliquo feriatur. vbi ergo securitas? Hic nusquam in hac vita, nusquam nisi in sola spe promissorum Dei: quod scilicet iuuabit nos, & non patietur vinci.*

Postmodum proponendum est mane coram Deo serio ac firmiter statuendum me tota die in vitij extirpationem incumbere, & omnia diei illius opera Deo dedicare ac cõsecrare velle, eò fine, vt illi placeam, vel vt victoriam ex hoste gratia ipsius adiutus reportem. & hæc sunt præambula pugnæ.

Iam verò ad pugnam ipsam veniendo, vt habitus praui propellantur; cessandum est ab opere illorum, & hîc primus est modus extir-

pandi vitia: ad quod seruit examen particulare (id est pugna seu congressio cum aliquo vitio speciali, ex proposito cauendi illud, cura, examinatione & collatione compacta, cuius fructus est vitium illud eliminare, & oppositam virtutem acquirere) nobis à B. P. N. Ignatio diligenter commendatum in lib: Exercit. illud enim continet modum abstinendi à lapsu: desuetudo namq; sensim habitum tollit, qui vsu & exercitatione alioquin nascitur & conseruatur. Hinc qui instrumenta musica pulsare didicerunt, si longiore tempore intermittant, facilitatem amittunt, imò & artem ipsam planè dediscunt: Sic qui linguis quas aliquando nouerunt, numquam vtuntur, earum copiâ, vsuq; desuetudine paulatim destituuntur. Idem quoq; vsu venit in vitijs.

Deinde, qui alter modus est, ipsis tentationum initijs illius vitij est resistendum, quod faciendum præclarè docet B. Laurent: Iustinia: lib: de Spirituali animæ interritu. *In matutino,* inquit, *id est in primo internarum suggestionum congressu, ac corporalium voluptatum impulsu, de cordis mei thalamo, cunctorum vitiorum propellebam insultus. Hæc est violentia salutaris, quam iustus sibi indicit, vt animam suam in pace possideat, virtutum margaritis fulgeat, perfectionis alta conscendat, & post beatorum cœtibus inseratur.*

Adhibendus præterea tertius modus, efficacior præcedentibus, nimirum actus tum in-

terni, tum externi virtutum contrariarum sunt exercendi ad expugnandum vitium, v. g. ad debellandam superbiam, faciendi sunt actus interni humilitatis; vt scilicet reputet se indignũ honore, nec esse causam cur se extollat, sed omnium pedibus potiùs substernat, tum addendi actus externi, nimirum vilium obsequiorũ exhibitio. Ita verò faciendum esse, & efficacẽ esse hunc modum, docet tum ratio ipsa, tum SS. Patres, deniq; rerum spiritualium magistri. Nam eo modo quo praui habitus excitantur, etiam destruuntur; actibus nempe contrarijs, contrariæ affectiones conuelluntur. Clauus clauo truditur, sed impulsu & concussione. Legendus de hac re Cassianus collat: 19. c. 14. vbi docet modum extirpandi impatientiam & iram. *Cùm te igitur impatientiæ siue iræ perturbationibus incursari vnusquisq; deprehenderit, dolorum,* inquit, *tolerantiam præparabit, &c.* Præclarè hoc etiam docet S. Bernardus, de ordine vitæ; post medium. *Aduersus impetus vitiorum, contrarijs,* inquit, *virtutibus, id est actibus illarum pugnandum: contra luxuriam adhibeatur cordis munditia; contra odium dilectio; contra iracundiam patientia; contra timorem, fiduciæ virtus; contra torporem, feruor boni studij; opponatur tristitiæ gaudium, acediæ fortitudo, auaritiæ largitas, superbiæ humilitas.* Deniq; B. Laurentius Iustinianus lib: de casto connubio c. 7. *Vitijs virtutum oppositione resistendum est, nunquam vt ad actum, nunquam vt pertrahant ad consensum, permittenda sunt.*

Sicut in-

Sicut intus fremunt, vt prosiliant, ita quoq; intus mucrone resistentiæ iugulentur, iuxta Prophetæ admonitionem dicentis Psal: 4. Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.

Tandem ad extirpationem vitij, adhibendum est examen, an & quomodo fiant prædicta omnia, quæ diximus, idq; certo aliquo tempore, semel aut bis in die faciendum.

Quod si quis animaduerterit, se vel actus istos virtutis contrariæ languidè exercuisse, vel in aliquod leue peccatum eius vitij, quòd impugnat, incidisse, in seipsum animaduertat, vt docet Cassianus loco cit. tum seipsum reprehendendo, tum pœnam aliquam exteriorem, sibi pro illo defectu infligendo, vt v. g. motum indignationis aduersus fratrem, humillima veniæ postulatione, compensando ac puniendo: qui enim hæc omnia fecerit, & in tali exercitio iuxta exigentiam perseuerauerit, sine dubio vitia extirpabit, & virtutes inseret, & incredibilem pacem assequetur.

Notandæ tamen sunt, & seruandæ octo, circa hanc pugnam cum vitijs, regulæ. Prima est. Non indicendum simul, vno & eodem tēpore, omnibus vitijs ex professo bellum, sed aduersum vnum quodpiam peculiare, peculiariter pugnandum; ne scilicet multitudine fatiscat animus, spemq; vincendi abijciat: & satis certè operæ est, cum vno vitio certamen instituere. Et propter hanc causam examen parti-

culare dicitur particulare, ad distinctionem generalis; quia scilicet pugna est, non aduersus omnia vitia, nec inquirit in omnia, quæ illo die admittuntur, dicta, facta, cogitataq;, sed contra vnicum & speciale aliquod vitium, bellum suscipit. Secunda, à capitali vitio primùm incipiendum, seu quòd idem est, ab eo quòd radix est aliorum; nam eò præciso, truncus cum arbore tota corruit. Id est consilium Cassiani collat: 5. c. 14. quod in longum prosequitur. Tertia, ab eo etiam vitio iucipiendum est, ad quòd quis natura propendet, nam & dæmon tentans nos, hoc obseruat, vt ait S. Efrem Serm: de linguæ morbo, & alijs. *Et iucundo*, inquit ille, *inijcit vincula vnicuiq;, vt in ijs libenter quiescat, & ita in ipsius maneat obsequio, benè præuidens, quòd si iniucundis nos vellet vinculis alligare, citiùs ea abrumperemus.* Item cæteris paribus, ab eo vitio inchoandum, à quo sæpius superamur, & contra quod debiliores sumus. Sic enim facit & dæmon, cùm nos oppugnat. *Nam sicut dux belli*, inquit Cassianus coll: 24. c. 17. *cùm ciuitatem obsidet, diligenter obseruat debiliorem murorum partem, quam deijciat, vt ciuitatem ingrediatur: ita dæmon cùm nos tentare vult, diligenter obseruat, quæ fortior in homine propensio ad malum, & cui faciliùs cadit, & erga quid debilior sit, vel erga quid magis inclinatus, vt v. g. an per concupiscibilem ad voluptates, an per irascibilem ad vltiones, &c. & ibi admouet suas suggestiones.* Quarta, ab externo vitio seu ab actu illius exter-

no, impugnatio & destructio est incipienda, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 161. a. 6. *Homo, inquit, ad humilitatem peruenit, primò quidem & principaliter per gratiæ donum; & quantum ad hoc, interiora præcedunt exteriora. Aliud autem est humanum studium, per quod homo priùs exteriora cohibet, & postmodum pertingit ad extirpandam interiorem radicem.* Ratio autem cur ab externo priùs inchoandũ, quia tale nõ modo delinquenti officit, sed alios quoq; inquinat ac offendit. Quinta, cũ vno etiam exteriori pugnandum est, propter rationem dictam in prima regula. Sexta, ab eo exteriori est inchoanda pugna, quod nos magis infestat, vel alios magis offendit, quia hoc magis necessarium. *Quæ enim pestis ardentiùs insequenda est*, ait S. Gregorius par: 4. pastor: c. 4. *nisi quæ periculosiùs premit?* Septima, ab eo exordiendum, quòd est faciliùs; quam rem illustrat similitudine D. Anselmus l. de simil: c. 145. *Sicut arborem proceram succidens, prius in circuitu arbusta curat excindere, ne sibi arborem succidenti possint obesse: ita priùs faciliora vitij sunt extirpanda, vt ad difficiliora & robustiora progrediamur.* Octaua & vltima, directionis seu magistri spiritualis iudicium in his omnibus adhibendum, vt patet ex dictis suprà. Et hic est modus generalis impugnandi & extirpandi vitia: specialis autem contra vnumquodq; vitium, qui etiam requiritur, alterius est tractationis.

CAPVT XXXVI.

Proficienti necessaria est mortificatio cupiditatis & passionum, & ante acquisitionem virtutum adhibenda.

TRia asserimus, quæ antequam comprobemus, explicandum est prius, quid nomine mortificationis, cupiditatis, & passionum intelligatur.

Ad primum, missis longis discursibus, qui de hac re videri possunt apud Aluarez, tom: 2. l. 2. 1. partis, per aliquot capita. Crombetium in studio perfectionis, varijs in locis; Rosignolium de disc: Chr: perf: l. 2. c. 25. Negronium super 4. reg: com: §. 22. Deniq; Iulium Fatiũ, in lib: de mortif: paſ. Respondeo, mortificationem cupiditatis & passionum nostrarum, nihil aliud esse, quàm spontaneam ac liberam, ob Dei amorem, & studium virtutis, repressionẽ, seu cohibitionem inordinationis, aut viuacitatis nimiæ, contra rectam rationem, quæ in cupiditate nostra, & passionibus ipsius reperitur; & propterea mortificatio vocatur, non autem mors, quicquid dicant alij, quia nec ipsa cupiditas, nec eius passiones debent omninò separari, aut seiungi ab anima, vel à vita carnali, neq; ad internecionem deleri, aut euelli, vt diximus de peccatis & vitijs; sed cohiberi, comprimi, & à malo retrahi. Tonsioni similis de-

bet esse

bet esse mortificatio, sicut & mortificans tonsori: sicut enim illa capillos, barbamq; præscindit, aut radit, radicem verò pilorum non euellit, imò nec attentat, quoniam id fieri non debet, nec sine deformitate ac incõmodo potest; sic & mortificatio, superflua tantùm cupiditatis nostræ, & passionum eius resecat, ipsa verò hæc non euellit, quia talis euulsio non est possibilis, & dignitati naturæ humanæ non parum officeret. De Cupiditate, clarissimè id asserit S. August: Serm: 49. in Nou: *Quia ipsa concupiscentia cũ qua nati sumus, finiri non potest quãdiu viuimus, &c.* Dicit tamen ibidem Sanctus, dari in nobis aliam etiam cupiditatem, quam scilicet consuetudine facimus. Et lib: contra Iulianum cap: 5. & 8. ac lib:2. ante finem: *Concupiscentiam quis ambigat posse minui, non posse consumi: Minui inquam, ex parte inordinationis, quam habet in appetendo propter peccatum originale.* Et D. Bernard: de triplici genere cogitationum nostrarum: *Et quia eum*, nimirum appetitum sensitiuum, seu concupiscentiam, *extinguere non possumus, reprimere debemus.* De passionibus verò fortè illud Senecæ Philosophi scribentis ad Lucillum, intelligi potest: *Vna est*, inquit, *catena, quæ nos alligatos tenet, nimirum amor vitæ, qui vt non est abijciendus, ita minuendus est.* Et hæc solet vocari mortificatio interior. Bonam autem esse eam definitionem mortificationis huius, vel inde patet, quod quãdo dicere volumus, hominem non esse mortifi-

catum,

catum, dicere solemus, eum esse inordinatum, & nimis viuacem in suis passionibus, & appetitionibus, hoc est in vita, quæ regulam rationis excedit; v. g. cùm oculus nullâ habitâ ratione temporis, loci, personarum, &c. aspicit id, quod sibi obijcitur.

Ad secundum dico: *Cupiditas est appetitus sensitiuus, innatus homini*, vt ait S. August: lib: 14. de Ciuit: c. 23. *existens in parte animæ illius inferiori, vel etiam in toto homine, seu qui cognitionem sensus per se sequitur, & est homini communis cum bestijs, estq; principium, seu causa passionum.* Cur autem hic appetitus malus sit in homine & non in brutis, docet idem lib: 4. contra Iulian: c. 14. *Quia*, inquit, *in eis non concupiscit aduersus spiritum, nec enim habēt rationem.* Vocatur hic appetitus seu cupiditas, vt adnotat S. August: alijs nominibus à S. Scriptura, & à SS. Patribus: v. g. vetus homo, fomes peccati (qui non est sola substantia appetitus sensitiui, sed disposita ad præueniendum vsum rationis circa obiecta illicita, quod habet ex peccato originali) corpus, concupiscentia, sensualitas, deniq; caro, maximè à S. Paulo: *Caro concupiscit aduersus spiritum*, Galat: 5. Est autem duplex hic appetitus, seu duplicem habet potentiam, siue re, siue ratione distinctam: alteram concupiscibilem, alteram irascibilem.

Ad tertium respondeo. Passiones dicuntur motus, incitationes, seu operationes appetitus sensitiui, tàm concupiscibilis, quàm irascibilis.

Ideo autem hæ operationes dicuntur passiones, quia ab illis corporali quadam immutatione, potentia, hoc est, appetitus sensitiuus afficitur, alteratur, & suo modo patitur. Sic timentes & amantes pallent, verecundiâ suffusi rubent, irascentes ardent oculis, inuidentes & tristes tabescunt. Eædem passiones appellantur quoq; affectiones seu affectus, appetitiones & perturbationes, quia subinde rectam rationem turbare, tenebrasq; ei offundere, & aliquo modo eam immutare solent. Censentur autem hæ passiones à D. Aug: lib: 9. de Ciuit: c. 4. & lib:14.c.7. 8.& 9. Et à D. Tho: 1. 2. q. 23. a. 4. Vndecim numero: quarum sex resident in potentia concupiscibili; nempè amor, desiderium, odium, fuga, seu abominatio mali, delectatio, quæ & gaudium nuncupatur, dolor vel tristitia. Quinque autem reliquæ sunt in irascibili, videlicet spes & desperatio, audacia & timor, ira deniq;, quæ indignatio & zelus dicitur. Oriuntur hæ passiones ex obiecto aliquo, tam bono, quàm malo, per imaginationem animæ repræsentato. Res enim bona obiecta sensui, trahit & inclinat ad se animum, seu appetitum sensitiuum, tanquam principium actiuum, & inclinatio illius seu propensio, amor dicitur; quæ si non habeatur, incitat appetitum prædictum ad illam procurandam, & est desiderium: quam si obtineat, efficitur in appetitu quies, seu delectatio, & gaudium, aut lætitia ob præsentiam boni pos-

sessi. Alios autem ex opposito effectus causat res mala, eidem appetitui exposita per imaginationem: & primò quidem auersionem, qua ille conatur eam à se auertere, & dicitur odium: quòd si studium accesserit rem illam propellẽdi, dicitur fuga, seu abominatio mali: quod si malum euitare ac repellere non possit, sitq; iam præsens, nascitur dolor seu tristitia. Et hæc in concupiscibili potentia seu appetitu. In irascibili verò, (quem D. Basil: orat: de ira; seu Homil: 10. vocat neruum animi ad res fortiter & constanter gerendas,) nam si bonum huic appetitui obiectum est arduum, sed tamen ita cõceptum, vt obtineri queat, efficiet in eo spem illud consequendi; contra verò desperationem, si concipiatur quasi obtineri non possit. Rursum, si malum illi eidem potentiæ irascibili obijciatur, quod ægrè depelli possit; & tamen homo confidat se depulsurum, nascitur audacia in appetitu: sin minus, timor. Si verò malum sit re ipsa, vel imaginatione sola præsens, exurgit ira contra illud malum, & mali auctores, & tum illud, tum hoc è medio tollere nititur. Plura de his videri possunt apud Aluar: to: 3. li: 4. Et apud Ioan: Pelletium, de cura humanorum affectuum. His explicatis, ostendamus iam, ei qui cupit assequi perfectionẽ, necessariam esse mortificationem cupiditatis, & passionum suarum, idq; ante acquisitionem virtutum. Ordiamur à primo, cuius probationi hoc seruiat.

Primum

Primum argumentum: quia hoc colligitur ex S. Scriptura. Missis autem multis testimonijs, maximè ex epist: S. Pauli, sufficiat nobis locus ex cap: 18. Eccl: vbi sic ille: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere*: quo loco distinguit appetitum sensitiuum ab intellectuali, nimirum à voluntate. Vtitur autem plurali numero, *concupiscentias*; vt comprehendat vtramque, & concupiscibilem, & irascibilem, & passiones earundem. Subijcit autem rationem, cur non debeamus obsequi concupiscētijs nostris, id est, consentire in id quod appetunt: *Si enim præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*; nimirum peccatis, vitijs, & dæmonibus, quia victoriam ex te reportabunt, & teipsum captiuum trahent. Hinc verò necessariò sequitur, necessariam esse mortificationem cōcupiscentiæ, cupienti perfectionem acquirere.

Secundum: quia hoc non solùm indicatur, sed etiam clarè docetur à SS. Patribus. Ita inter alios apertè S. Ephrem, sermone ad pietatē exhortans athletam: *Ille*, inquit, *diuinus est Philosophus*, id est, vir sanctus, atq; perfectus, *qui omni tempore prauis suis concupiscentijs resistit*. Aliorum testimonia, infra à nobis in cōfirmationem aliarum rerum huc spectantium, adferentur.

Tertium est experientia: quia quicunque hactenus perfecti fuerunt, nullus illorum ex puris scilicet hominibus, perfectionem consecu-

tus est, sine mortificatione cupiditatis, ac propterea in ipsa plurimum se exercebant, vt patet ex vitis Sanctorum, & Annal: Eccl. ac libris Cassiani, & aliorum.

Quartum: quia hic à Magistris vitæ spiritualis censetur quartus esse gradus in via perfectionis, mortificatio scilicet cupiditatis, passionum, sensuum interiorum ac exteriorum, deniq; castigatio corporis.

Quintum: quia mortificata cupiditas, & passiones illius domitæ, signum sunt perfectionis acquisitæ, signum inquam necessarium. Testatur hoc S. August: lib: 80. qq. q. 36. cùm dicit: *Perfectio Charitatis, & quod idem est ipsa perfectio, de qua loquimur, est nulla cupiditas, scilicet inordinata. Signum profectus est imminutio timoris, signum verò perfectionis, nullus timor, scilicet inordinatus.* Aliud testimonium eiusdem videbimus hîc infra.

Sextum: magna & multa Dei dona requiruntur ad acquirendam perfectionem, vt vidimus. Talia autem solet denegare Deus ijs, qui etiam in minoribus suam concupiscētiam mortificare negligunt, & cor ab inordinatis cupiditatibus elongare contemnunt.

Septimum: quia id non solùm præscribit nobis, regula nostra 12. Summarij; sed eā quoq; necessitatem mortificationis huius, scilicet propter perfectionem acquirendam, indicat, cùm dicit: *Vt meliùs ad hunc gradum perfectionis tam pretiosum perueniatur, maius ac impensius studium cuiusq;*

sit, quæ-

sit, quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem.

Octauum & vltimum: quia grauissimum nobis periculum à propria concupiscentia seu cupiditate imminet, & ipsa inter alia plurima, quæ impedimento sunt perfectioni, potissima est, ac efficacior, quæ & magis proximè id præstat, & deniq; fons est omnium impedimentorum. Atq; id probant decem rationes.

Prima, quia ipsa mater est, seu initium & radix, ac prima origo in homine omniũ malorum seu peccatorum, ex qua scilicet committuntur, vt affirmat Apostolus *1. ad Tim: 6.* id est omnium peccatorum, vitiorum, ac passionum inordinatarum, (quæ quantum impediant perfectionẽ, vidimus.) Et propterea Cupiditas etiam, cùm ei non consentit voluntas, vocatur ab eodem Apostolo ad Rom: *6. peccatum,* non formaliter, quia ipsa sit peccatum, sed causaliter: quia peccatum, si vicerit, facit, & quia peccato facta est; vt explicant SS. Patres: D. Aug: de perfect: iustitiæ; (quo loco etiam & contra Iulian: l. 5. c. 3. & 2. ep: contra Pelagium lib: 1. c. 13. exẽplis rem illustrat: *Sicut*, inquit, *vocatur frigus pigrum, quod pigros faciat; & vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus: sic concupiscentia peccatum, &c.*) D. Hieron: q. 8. ad Algas; & D. Ambr: ad Rom: 6. cuius rei etiam hanc reddunt rationem, quia

nullum, inquiunt, *est peccatum, quod saltem aliquo modo, non ex praua cupiditate oriatur in nobis.* Pulchrè Petrus Rauennas in Serm: *Cupiditas*, inquit, *est mater transgressionis, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum.* Et propterea B. Cypr: de disc: dixit: *Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat, & perpetuam sibi pacem dat, ac libertatē reddit.* *Cui verò*, vt ait S. Greg: in Hom: *cupiditas dominari dicitur, subiectus omnibus malis demonstratur.* Propter eandem etiam causam, quia scilicet cupiditas radix est & seminarium peccatorum, ac concupiscit aduersus spiritum, appellatur à S. Aug: contra Iulian: lib:1.c.2.§.26. & à S. Ambr: lib: de Isaac & Iacob; & lib: Apolog: Dauid: *Iniquitas quæ culpa non est, nec peccatum,* (*latiùs enim*, inquit, *patet iniquitas quàm peccatum*) *sed culpæ operatrix.* Meritò profectò hoc nomen Cupiditati ab his Sanctis tribuitur, quia contra æquitatem est, & iniquum, vt caro concupiscat aduersus spiritum: sicut iustum est, vt spiritus concupiscat aduersus carnem. Secunda ratio, quia ipsa est infirmitas ac ægritudo animæ nostræ, quod clarè docet Aug: l. citato à nobis, c. 5. Et propterea S. Bern. Serm: de diligendo Deo, ait: *A planta pedis vsq; ad verticem, non est in me sanitas, totum infecit concupiscentia, lex peccati in omnibus membris inuenitur.* Tertia, quia ipsa est procliuitas, propensio ac inclinatio ad peccatum; quod ei inest in pœnam peccati originalis, hoc enim

accendit

accendit hanc cupiditatem, & inordinatam efficit, vt ſcilicet inordinatè appetat. Quarta, ipſa incitat omnes ſenſus, tàm interiores, quàm exteriores ad perpetranda peccata, & ita fortiter vt periculum ſit conſenſûs, item intellectum, & voluntatem; eſt enim res inſatiabilis, & vehemens inclinatio ad delitias & voluptates, quas etiam procurat, boni verò honeſti ac legis diuinæ nullam rationem habet. Vnde, *ad ſatiandum ſenſualitatis appetitum*, ait Ricar: Victor: de Beniamin, *totus mundus non ſufficit*. Quinta, hæc eſt præcipua cauſa tentationum. Et hoc indicare voluit S. Bern: cùm Serm: 46. in Cāt: ſcripſit: *Omnis fabrica malignitatis euaneſcit, cum concupiſcentiæ totis viribus reſiſtitur*. Inde autem eſt cauſa tentationum, quia concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſeu rectam rationem, & aduerſatur illi, quod docet Apoſtolus, cùm ad Gal: 5. ait: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*; hæc enim ſibi aduerſantur: nomine enim carnis intelligit cupiditatem, hoc eſt prāuum appetitum ſenſitiuū, non ipſam naturam carnis ſeu corporis, vt explicant S. Aug: lib: 6. contra Iulian: c. 5. & S. Chryſoſt: in hunc locum Apoſtoli, vbi etiam reddit rationem huius rei; nam propriè caro ipſa non eſt de numero eorū, quæ mouent aut agunt, ſed potiùs quæ mouentur aut aguntur, ac proinde non concupiſcit. Sexta, quia ipſa maximo impedimento eſt omnibus virtutibus, & præcipuè Charitati, ac proinde & perfectioni.

Cupiditas, inquit S. August: l. c. in 5. argum: suprà, *venenum est Charitatis: & contrà imminutio eius, est nutrimentum Charitatis.* Septima, quia cupiditas facit, vt anima nostra non percipiat supernaturalia: (quòd plurimum obest perfectioni) *Animalis* enim *homo,* vt ait Apostolus 1. Cor: 2. *non percipit ea quæ Spiritus Dei sunt.* Huc spectat illud, quòd dixit Orig: hom: 10. *Cupiditas nihil turpe agnosci permittit, desideriū cœlestium tollit, terraq; terram desiderantē deuorat.* Et illud similiter dictū à S. Gregorio in hom. *Bonorum auctori aliter inhærere non valemus, nisi cupiditatem à nobis, quæ malorum radix est, abscindamus.* Octaua, quia cupiditas hæc potissima est causa distractionum in oratione: est enim illa cum suis passionibus inordinatis, veluti spinæ quæ pungunt animam in oratione. Sunt vtræq; veluti tenebræ, quæ lumen cæleste impediunt. Sunt instar nebulæ, vaporū & puluerum, quæ lumen rationis obfuscant, perturbant & obcæcant. Sunt veluti cathenæ quæ cor ligant, vt ibi sit, vbi thesaurus eius, nimirum id quod inordinatè amant. Sunt veluti ventus, qui cor tanquam folium instabile, ad varia & absurda abripit. Deniq; sunt tanquā cœnum quo anima inficitur, & coinquinatur. Nona, quia cupiditates tenent partes diaboli, & sunt instrumenta vel potestates illius. Et propterea S. Augustinus lib: 4. de Agone Christiano dixit: *Ibi vincuntur inimicæ potestates, vbi vincuntur cupiditates.* & *subijcit sibi inimicas potestates, &*

diabolum, qui vincit concupiscentias, per quas nobis dominantur. Quare autem concupiscentiæ teneant partes diaboli, &c. indicat idem S. tra: 4. in Canon: Ioan. & lib: 1. de Nupt. & Concupiscen. vbi concupiscentiam prauam quam peccatum in hominibus operatur, non quoad naturam suam, sed quoad inordinationem, asserit causatã esse in nobis ex diabolo: suasione scilicet illius, & fruticem eiusdem, deniq; ipsum per opera sua praua cogere nos esse sub diabolo. Decima & vltima, ipsa est quæ maximè perturbat pacem animæ nostræ, vt patet ex iam dictis, & quæ passionibus cor tanquam lanceis quibusdam impetit ac pungit, & cùm ad peccati consensum pertraxerit, quasi inflicto vulnere cruentat. Meritò quidam doctissimi viri applicant cupiditati & passionibus illius, illud Apocal: 14. *Non habent requiem die ac nocte qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius*; id est, qui cupiditati ac eiusdem passionibus obsequuntur atq; obtemperant. In perpetua enim tales sunt inquietudine, quoniam ipsa cupiditas & passiones excitatæ ab ea, non sinunt eos quiescere, & hoc approbat dictum S. August: 1. Conf: c. 12. *Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sua sit sibi omnis inordinatus affectus.* Huc spectat id quod dicit D. Ambr: lib: de Offic. *Qui nescit moderari cupiditatibus, is quasi equis indomitis raptus, voluitur, laniatur, affligitur.* quæ autẽ tali pax esse poterit? & D. Bernardus Serm: 60. *Nihil in hac vita laboriosius, quàm desiderijs terre-*

rijs terrenis æstuare, & nihil hîc quietiùs, quam huius sæculi nihil appetere. Ac propterea dixit S. Leo, virum Catholicum, & præcipuè Sacerdotem Domini, sicut nullo implicari errore, ita nulla oportere cupiditate violari. *Vilis profectò nimis est Christianus & imbecillis, qui se vinci permittit à cupiditate*: sicut è contra, *grandis virtutis est, qui in carne non carnaliter viuit*: vtrumq; hoc dicitur à S. Hieronymo: prius quidem Ep: ad Rusticum, posterius, epist: ad Furiam.

Mortificatio autem cupiditatis in hoc sita est, vt eam à malo retrahamus, effrenatos motus eius cohibeamus, & quantùm gratia aspirauerit moderemur. Tunc autem verè mortificatur cupiditas, quando reprimit eam recta ratio, quod docet Apostolus ad Rom: 8. *Si spiritu*, inquit, id est recta ratione, *facta carnis*, id est cupiditatis, *mortificaueritis, viuetis.* Dupliciter autem reprimere potest recta ratio cupiditatem. Primò, cùm non permittit ei, idq; imperando, exire in actus, siue prosecutionis, siue fugæ; est enim cupiditas ancilla intellectus, quod indicauit Deus, cùm dixit Gen: 4. *Appetitus eius sub te est*; id est sub tua potestate, *& tu dominaberis illi.* Si non consenseris concupiscentijs tuis, minores erunt quotidie; si autem cesseris, dabis eis vires. *Hostis est*, iuquit S. August: Serm: 49. de Ieiunio, *pugna, repugna: & si minus idoneus es aduersus eum, roga Deum.* Secundò, cùm cohibet proprium suum consensum, id est cum ipsa ratio

ſponte non præbet ſuum aſſenſum paſſioni illi-us: quòd cùm facit, magnum quid agit. Vnde D. Aug: Ser: 12. de verb: Apoſt. *Concupiſcentijs carnis non conſentire, magna laus eſt, quas non habere, perfectio eſt*, id eſt ſignum perfectionis. & Cicero quamuis gentilis. *Hæc, inquit, qui facit, non ego eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo dico.*

Ad moderandas etiam ac frænandas cupiditates, maximè ſenſuales, nullum efficacius ac feruentius medium eſt, vero ac feruenti Dei amore, ac rerum ſpiritualium, ac cœleſtium deſiderio. Cuius rationem præclaram adfert S. Hieron: Epiſt: ad Euſtochium, c. de virgin. *Valde difficile eſt, non appetere, vel non amare aliquid: quamobrem amor carnis vincendus eſt, amore ſpiritus, & vnius deſiderium alterius deſiderio mortificandum, vt quantum ex altero minuitur, tantum alter creſcat.* Plurimum etiam ad eandem rem confert, frequens ac deuota ſuſceptio Sacramenti Euchariſtiæ: ita S. Bernar: Serm: de Cœna Domini: *Peſſimum*, inquit, *vlcus concupiſcentiæ* ſcilicet prauæ, *paulatim in huius Sacramenti acceſſit ad ſanitatem.* & *ſiquis veſtrum* (ſæpe communicantes alloquitur) *non tam ſæpè, nec tam acerbos ſentit motus iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi; gratias agat Corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti in eo operatur.* Neceſſarium deniq; eſt ad mortificationem eiuſdem cupiditatis, caſtigare corpus, vt infra, & bene gubernare & cohibere omnes ſenſus externos & internos,

quia illi ſunt qui excitant cupiditatem, vel ad proſecutionem, vel ad fugam. & vnuſquiſq; ſenſus, ſuadet ei, aut eſſe amandam rem, aut fugiendam, & ſic accendunt in ea amorem aut timorem. Sciendum tamen eſt, cupiditatem non vnumquemque hominem inclinare ad omnia peccata, maximè immoderatè: ſed magis ad vnum hunc quàm ad aliud, & alium magis ad aliud: ſic experimur vnũ magis procliuem ad ſuperbiam, alium ad luxuriam, alium ad auaritiam, &c. ſcilicet pro ratione diſpoſitionum, & complexionis hominum. *Neq; vnius anima*, inquit Chryſoſt: hom: 1. in c. 1. Ioan. *multis ſufficere poteſt cupiditatibus*, &c. Obſeruet ergo vnusquiſq; ſuam concupiſcentiam, qua maximè laborat: & ibi manum admoueat.

Quod attinet ad ſecundum, neceſſarium ſcilicet eſſe proficienti mortificationem paſſionum, clarum eſt ex dictis. nam ſupra allata octo argumenta contra cupiditatẽ, ferè omnia militant etiam contra paſſiones illius, imo aliqua magis contra eas. Paſſiones enim magis proximè intellectum noſtrum excœcant, & voluntatem à veris bonis auocant, & ad conſenſum in malum ac proinde in peccatum, incitant & trahunt: imo vinciunt eam, ac libertate ſpoliant, quod his verbis docuit S. Auguſtinus: *Non eſt libera dicenda voluntas humana, quamdiu vincentibus, & vincientibus cupiditatibus eſt ſubiecta: A quo*

cta: A quo enim quis deuictus est, huius & seruus addictus est. Passiones sunt quæ nos spoliant gratiâ Dei, & virtutibus: illæ sunt vitiorum omnium radices: ipsæ magis quietem & tranquilitatem animæ nostræ apprimè necessariam, ad virtutem & perfectionem capessendam, tot clamoribus desideriorum, timorum, tristitiarum ac odiorum, turbant: quod quia notum est, probatione non eget; infinita enim sunt exempla passionum, & efficacitatis illarum in hac materia. Eædem etiam magis dominari nobis, & rectæ rationi volunt, eamq; è sua sede deturbare, & quodammodo cogere non desistunt; & quòd maxima miseria est; simul illam & eodē tempore ad contraria instigant: ira enim v. g. vrget & imperat, vt animus vlciscatur iniuriam, obloquendo scilicet ei à quo læsus est, famam illius lacerando, increpando, percutiendo, &c. timor verò vetat, ne discrimen infamiæ, aut mortis incurrat. Magna certè miseria, animum contraria cupere, & veluti in sæua tempestate positum, ventis contrarijs agitari. Pacata itaq; anima esse non poterit, quamdiu passiones illius pacatæ non fuerint, iuxta illud S. Iob c. 5. *Et bestiæ terræ*, id est passiones, *pacificæ erunt tibi, & scias quod pacem habeat tabernaculum tuum*; id est cùm passiones tuæ propter studium adhibitum, & auxilium Dei, erunt pacatæ; tunc quoq; tabernaculum mentis tuæ pacem habebit. Aliter frustra contendimus; *ibi enim*, vt iam

ante dixi ex S. August: de Ciuit: Dei, *non potest esse pax, vbi non est subiectio repugnantium.* & *pax*, vt idem ait in Serm: de monte Dei, *ibi nascitur, vbi ita sunt ordinata omnia, vt id quod in homine præcipuum & excellens est, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisq; communia.* Hæc autem sunt cupiditas, & passiones illius. Deniq; passiones nostræ sunt præcipua & amplissima arma, quibus dæmon nos impugnat: & non solùm à perfectione, sed etiam à salute æterna, tanquā firma statione deturbare ac deijcere conatur. Eleganter hoc dixit Leo Papa Serm: 7. de Natali Domini. *Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnes discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbicunq; viderit studiosius occupari.* Mortificemus igitur has passiones, maximè cum S. Augustino de verbis Apost. si spiritu facta carnis, &c. & Serm: 23. dicat. Hoc hominis opus esse in vita, vt scilicet passiones suas mortificet.

Tertium tandem quod quærebamus, quanquam deduci possit ex dictis, sic ostenditur. Primò, quia strenuam saltem operam, acquirendis & exercendis virtutibus, nauare non potest is, qui nondum mortificauit cupiditatem suam, & passiones, imò occupatus tantoperè comprimēdis illis, ac excludendis, quomodo id præstare

valebit? Secundò, quia acquisitio virtutum & perfectionis, mentem quietam & tranquillam postulant, vt vidimus; & propterea dixit S. Basil: in Constit: Monast: c. 5. *Animæ tranquillitas, fœcundissimus fons virtutum.* Pax autem mentis nõ est, vbi regnat cupiditas & passiones illius. Virum pacificum elegit sibi Dominus, vt magnificum illi templum extrueret; dictum est Dauidi, *1. Paralip: c. 22.* Hoc idem dici sibi existiment illi, qui templum virtutum & perfectionis, ædificari Deo constituunt. Tertiò, doctrina est SS. Patrum, & Theologorum, virtutes morales non acquiri sine mortificatione, circa obiecta illarum propria, & pendere eas ab huiusmodi actibus mortificationis; quantò ergo magis prærequiretur ad earundẽ acquisitionem mortificatio cupiditatis & passionum? Et hoc clarè docet S. Tho: 1. 2. q. 59. a. 1. *Virtus*, inquit, *prærequirit passiones sedatas*, & ex consequenti sensus moderatos: nam sine horum mortificatione, ipsæ quoq; passiones sedatæ non erunt. Timendum est profectò illis qui quærunt perfectionem, & virtutum acquisitioni inuigilant, antequam passiones suas aliquantũ saltim mortificatas habuerint, ne eueniat, quod habitatoribus Hai euenisse, in lib: Iosue c. 8. legimus: qui cum desertâ propriâ vrbe, in vnam partem exercitus Israelis, se coram ostentantem, & fugam simulantem, irruissent; altera pars ex insidijs ac latebris erumpens, vrbem illorum oc-

cupauit,

cupauit, & igni voraci absumendam tradidit. Sic ij, qui cupiditatem, & passiones inordinatas, non pertimescentes, extra non tam ad sternendas, quàm acquirendas virtutes egressi, ab eadem cupiditate & passionibus astu circumuenti, & in quærenda virtute impediti, omnes tandem conatus irritos fuisse vt animaduertãt, ac serò doleant, erit necessarium.

CAPVT XXXVII.

Necessaria est & vtilis ad acquirendam perfectionem, corporis mortificatio.

NOmine corporis non intelligitur concupiscentia, neq; corpus seu caro, vt substat concupiscentiæ vel cupiditati, quo pacto solet sumi à S. Script: & SS. Patribus, vt vidimus; sed intelligitur altera pars, quæ cum anima cõstituit compositum, quod est viuens, & homo; nimirum materia organizata, subiecta viribus animæ sentientis. Mortificatio verò accipitur, pro vexatione eiusdem corporis sponte suscepta, vt notat S. Ansel: super illud 2. Cor: 4. *Semper mortificationem Iesu, &c.* Seu accipitur pro afflictione voluntaria, vel castigatione, per disciplinas, cilicia, ieiunia, vigilias, genuflexiones, humicubationes, & alias huiusmodi asperitates, idq; eo fine, vt scilicet corpus subiectũ sit animæ, & rectæ rationi; & hæc solet vocari mortificatio exterior, & corporalis; sicut &

illa, de qua præcedenti cap: interior & spiritualis, ac proinde nobilior hac alterâ, quod docet etiam S. Aug: Serm: 20. de Sanctis, & 1. de S. Ioan: Bapt: *Alterum*, inquit, *genus est pretiosius & sublimius, scilicet regere motus animi, &c. hæc qui facit prærupto paßionis muro, ad cælorum regna conscendit.* Hanc eandem doctrinam tradunt, S. Greg: lib: 32. mor: c. 17. & lib: 6. c. 15. & super 1. lib: Reg: c. 2. & Doroth: Serm: 1. Videamus iam rationes, quæ mortificationem corporis ad consequendam perfectionem necessariam, suadere possunt.

Prima est, exempla hominum Sanctorum, & perfectorum virorum, qui toto suo vitæ cursu, partim ad passiones domandas, partim ad sanandam ac perficiendam naturam, & quod idem est, ad perfectionem consequendam, horrendè in corpora sua sæuierunt; qua exercitatione seu mortificatione, tandem ad sanctitatem & perfectionem peruenerunt. Extant huiusmodi exempla in Vitis SS. Patrum, in Annalibus Ecclesiasticis, in Historijs Religionum, in libris Cassiani, in Historijs SS. Patrum apud Theodoretum; & in historia Lausicana apud Palladium, & alibi. Ego duo tantum adferam, vnum ex Theodor: c. 24. aliud ex Pallad: sect: 17. Sic igitur scribit Theodor: Episcopus Cyri, de Polychronio: *Mortificabat se aspero cilicio, viliq́; & nullius pretij habitu, sicq́; inopem vitam agebat, vt nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum, ac*

totam

totam noctem vigil in precibus stans consumebat: ad augendam autem mortificationem, habebat in cella truncum ex quercu, quem fatetur Theodoretus, vix se potuisse tollere, *hunc ille noctu diuq; imponebat humeris, & sic in oratione perstabat. Paupertatem tanto studio coluit, vt existimaret quouis regno magis expetendam. His alijsq; id genus exercitijs, in extremam vsq; ætatem vsurpatis, ad tantam rerum diuinarum notitiam & memoriam venit, vt mentem à contemplatione diuellere non posset.* De Macario verò Alexandrino, sic refert Palladius: *Domandi sui causa, toto sexennio nihil præter cruda olera, & legumina humectata sumpsit; viginti diebus & noctibus tectum non ingressus, vt somnum vinceret, cùm interdiu quidem arderet æstu, noctu verò frigore rigeret; deinde cùm aliquando ei molestiam exhibuisset spiritus fornicationis, castigauit hoc pacto corpus suum, quod fuit instrumentũ & receptaculum talis tentationis, vt nudus sex menses sederet in palude, quæ erat in solitudine, quo in loco ita à culicibus, qui magnitudine æquant vespas, corpus ipsius demorsum fuit, vt videretur leprosus.* Simile quid fecisse S. Benedictum, S. Franciscum, & S. Bernardum legimus, cùm talibus tentationibus molestarentur. Et hi certè sunt, qui strenuè pugnârunt contra cupiditatem, & passiones proprias. *His itaq; exercitationibus corporis, ad tantam Macarius peruenerat contemplationem, vt in ea sæpius noctem integram cum die transegerit.* Sed non desunt nobis domestica quoq; exempla, in B. P. Ignatio, B. Xauerio, B. Aloysio, & B. Stanislao,

qui vltimus, vt legimus in vita ipsius, quamuis esset iuuenis, innocens, & sanctus, qui nulla vnquam culpa mortali Deum offenderat, quod de ipso sanctè testatur Confessarius eiusdem, P. Alphonsus Ruiz, imò in quo, vt idem, & P. Iulius Fatius affirmant, nulla imperfectio notari potuit; tamen plurimos modos adinueniebat macerandæ carnis suæ mundissimæ, & mortificandi corporis, licet ad nutum semper spiritui obediret.

Secunda. Quia exercitium hoc, exterioris huius mortificationis, ponitur à Sãctis viris inter instrumenta, seu media adipiscendæ perfectionis, & quartus gradus in via eiusdem. Primum disertè affirmat Cassianus collat: 1. c. 7. *Igitur*, inquit, *ieiunia, vigiliæ, & alia, non perfectio sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in illis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.* Idem lib: 5. de institut: renunc: c. 17. 18. 19. prouentum pugnæ spiritualis, sine qua non acquiritur perfectio, in sola castigatione carnis, & in subiectione sui corporis collocat. Doceri autem hoc ipsum etiam ab alijs, videbimus inferius.

Tertia. Quia corpus est sedes cupiditatis, receptaculum passionum vitiorum omnium, tentationum, & earundem nutrimentum; denique instrumentum ipsarum, & dæmonum, per quod illa omnia agunt contra animam, contra virtutes omnes, ac perfectionem. Hæc verò

omnia quæ iam diximus, & certa sunt per se, & affirmantur à SS. Patribus, ac Magistris spiritualibus, vt propterea nõ immerito dixerit Cassianus loco cit: *Colluctationum omnium*, inquit, *summa est in carne nostra, atq; ideò mortificanda est.* Præclarè idem exprimit, imò & rationem dat Climachus de discretione, gradu 26. quod *sicut exsiccatum lutum, iam non potest esse vsui porcis, vt ibi se volutent, ita & caro per abstinentiam marcida effecta, dæmonibus, &c. vltra non præbebit in se quiescendi locum. Nisi autem carnis natura attrita fuerit*, vt ait S. Ephrem, *passiones fugari non poterunt.* D. Aug: 1. de doctr: Christ: c. 25. hanc disertè rationem reddit, cur corpus nostrum castigandũ sit, quòd in eo hæreat concupiscentia, quæ pugnat cum spiritu. S. verò Bernardus Serm: 3. super Psalmum: *Qui habitat*: ideò id faciendum esse dicit, quia *corpus nostrum laqueus est diaboli, nam & oculus*, inquit, *dicitur deprædari animam; & tamdiu nobis timendum est, id quod timebat Apostolus, ne scilicet reprobus efficeretur, donec laqueus conteratur*; id est, donec corpus deposuerit animam. Concludit; *minimè ergo decet securum esse hominẽ, qui secum portat laqueum suum.* Et ob hanc causam, quia caro nostra est instrumentum diaboli: *Dæmon*, vt inquit S. Aug: tr: de vtilitate ieiunij, *sæpè assumit patrocinium ipsius contra animam. Et dicit: Quid facis, quia ieiunas, tibi ipsi pœnam ingeris, tuus ipse tortor & trucidator existis. Responde ei; Castigo, ne me hoc iumentum præcipitet.* Facit autem hoc dæmon,

non vt

non vt corpus validum seruet, sed vt corpus & animam pariter interimat. Egregiè Hugo de clauſ: animæ, c. 2. *Ecce diabolus Phyſicam docet, ecce medicus factus eſt, de complexionibus loquitur, infirmitates diuerſas, ſi teneatur Religio, generari prædicat. Sed quare hoc? non vt mederi velit, ſed vt occidere poſſit. Videt ex ſubtractione ciborum, luxuriæ vires poſſe minui, & ideò non tardat minari ægritudines, &c.* Ægidius ſocius S. Franciſci dicere ſolitus erat: Corpus noſtrum eſſe præcipuum militem dæmonis, per quem nos impugnat. Ac propterea dicit S. Auguſt: Serm: 23. ad Herm. & Ser: 65. de tempore, c. 10. *Caro humiliatur ieiunio & mortificatione, & ſic dæmones ac tentationes ſuperantur.* Ideò etiam & Apoſtolus, licet iam Spiritum Dei haberet, nihilominùs caſtigabat corpus ſuum, vt indicat 1. Cor: 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Caſtigo corpus*, inquit D. Ambroſius ibidem, *id eſt, ieiunijs ango.* Diuus verò Baſilius lib: de virg: ſic explicat: *Caſtigo, id eſt, plagis affligo. Caſtigo*, inquit Origenes, *id eſt macero.* & S. Paulinus in epiſt: ad S. Auguſt: quæ inter eius epiſtolas ponitur 58. interpretatur hæc verba: *Caſtigo corpus, id eſt, liuidum facio.* Denique Græcum verbum ſonat; *Contundo corpus.* Non dixit verò, vt benè aduertit S. Chryſoſt: ſuper eum locum: Interimo corpus meum; ſed mortifico, nam primum illud non licet, cùm caro non ſit omninò inimica, ſecundum verò

est valde necessarium. Præclare D. Aug: loco cit: de doctr: Chr: *Corpus non est interimendum vt hostis, sed castigandum vt seruus. Illud verò: Et in seruitutem redigo, ostendit,* inquit S. Ambrosius, *finem propter quem Apostolus castigabat corpus suum, nimirum, vt subesset spiritui, ac seruiret illi.* Origenes & quidam alij, dicunt Apostolum domuisse corpus suum, vt effrænatas in ipso cupiditates edomaret. Alij verò, vt arceret eas quàm longissimè, & materiam ipsis subduceret, easdemq; præuerteret. *Si Paulus,* vt ait Euseb: Emissenus hom: 1. de initio Quadrages. *Factus habitaculum Christi, & vas electionis effectus, intelligit sibi non sufficere gratiam, nisi gratiæ adiungat mortificationem corporis, vnde & castigat illud. Si Paulus,* vt docet Origenes in cap: 8. ad Rom. *quem nulla creatura auellere poterat à charitate Dei, & qui nec etiamsi contra eum, cœlestium virtutum bella commoueantur, timet; carnem tamen suam castigat, quia insurgentes in ea, & ex ea insidias formidat. Si Paulus,* inquit S. Chrysost: loc: cit. *factus Angelus, castigat corpus suum, & dicit, ne forte reprobus efficiar, id est, ne tradar in reprobum sensum, faciens ea quæ non conueniunt, ad Rom: 1. Si timendum est hoc propter corpus non castigatum; quantò magis si cibis, delicijs, & alijs commoditatibus erit repletum, haud dubiè enim animam reprobam efficiet. Sicut nauis oneraria,* inquit S. Chrysost: Serm: con: luxuriam, & crapulam, *quæ suprà suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata, submergitur: ita corpus, si plures cibos,*

delicias, & commoditates acceperit, quàm ferat sua vis, iniectorum grauitatem non ferens, non solùm seipsum, sed & animam in vitia ac in pelagus perditionis demergit. Corpus nostrum, putant quidam SS. Doctores, intelligi à S. Dauide, nomine equi, Psal: 32. *Fallax equus*, id est, corpus, *ad salutem*, scilicet acquirendam. Sed qui vult ne tale experiatur suum corpus in via salutis, exequatur consilium quod Deus dedit Iosue cap: 11. postquam illi prædixerat victoriam contra quinq; reges: *Equos eorum*, inquit *subneruabis*. Quem locum expendens Origenes sic ait: *Non præcipit Deus subneruari reliqua animalia, quæ in illo bello ex hostium victoria obtigerunt illis, sed solos equos subneruare tantum, non occidere; subneruatur quippe equus, quando ieiunijs, vigilijs, & alijs afflictionibus corpus humiliatur. In neruis enim est omnis fortitudo animalis, cùm verò subneruatur, vires ab eo tolluntur. Ita corpus nostrum non est occidendum, est tamen eneruandum: eneruatur autem, cùm vires illius ieiunijs, vigilijs, & alijs asperitatibus debilitantur, vt Spiritui subsit.*

Quarta, Christus Dominus & Magister noster in seipso, & in suo corpore sacratissimo, castissimo, ac innocentissimo, voluit nobis dare exemplum huius mortificationis. Afflixit enim illud ieiunijs, siti, vigilijs, genuflexionibus, & molesta peregrinatione, vt intelligeremus necessarias nobis esse similes afflictiones, si perfectionem consequi volumus. Taceo clauos, flagella, spinas, lanceam, & durissimum

crucis lignum, alia quæ perpessus est.

Quinta, quia per mortificationem corporis, spiritus noster acquirit maiores vires, tum ad pugnandum cum suis aduersarijs, nimirum vitijs, passionibus, &c. tum ad acquirendas virtutes ac perfectionem. Et propterea dicit Apostolus 1. Cor: 12. *Cùm infirmor, tunc fortior sum*, quasi vellet dicere, cùm corpus mortifico, spiritus fit fortior. Nec mirum, nam hoc videre est in factionibus, aut partibus hominũ sibi aduersis, quando enim vna præualet, altera necesse est cedat, & cum vna pars bilancis assurgit, altera opus est vt deprimatur. Sic & corpus nostrum, quando mortificatur & deprimitur: Spiritus necesse est vt assurgat. Præclare hoc Isidorus orat: 59. *In toto*, inquit, *isto animi nostri & corporis commercio, id accidit quod in stateris, vt quod vni additur, alterius sit detrimentum: ita quo magis corpus alitur, hoc totum ad animi infirmitatem redundat.* Si enim cum is qui foris noster homo est corrũpitur, is qui intus est teste Apostolo 2. *Cor*: 4. de die in diem renouatur: nihil dubium est, quin è contrario, cùm is qui foris est noster homo impinguatur, & quotidie inter lautitias huius sæculi epulatus splendidè, is qui intus est fame spirituali attritus ac eneruatus macrescat. Docet hoc ipsum & S. Bernar: Serm: 29. in Cant. *Debilitas*, inquit, *carnis* (intellige non naturalis, cum qua possunt stare simul vehementes passiones effrenatæ, sed acquisita per mortificatio-

nem) *dat*

nem) *dat virtutem ſpiritui, & auget vires illius, ſicut è contrariò fortitudo carnis debilem reddit ſpiritum.*

Sexta, compoſitio corporis & partium eius ſeu membrorum, geſtium quoq; ac motuum, in inceſſu in ſeſſione, in ſitu, & in alijs, eſt neceſſaria ad perfectionem: ſine hac enim non eſſet integra hominis perfectio, ſed admixtam haberet aliquam diſſolutionem aut deordinationem. vt autem hanc compoſitionem habeat corpus noſtrum, indiget mortificatione, quæ quidquid ſuperfluum eſt reſecet, & moderetur: cùm mortificatio exterior ſit, veluti frænum quoddam; corpus verò noſtrum, veluti equus indomitus, cui inſidere ſine fræno periculoſum eſt.

Septima, corporis neceſſitates multum temporis neceſſarij ad quærendam perfectionem, præripiunt animæ noſtræ, ita vt illa vix mediam partem vitæ ſibi vendicet. Nam infantia ipſa inprimis & pueritia detrahenda, imo & tertia decrepita ætas, quibus mens inepta eſt ad quærendam perfectionem, vt infrà patebit. His iungendæ ſunt noctes, quæ ſomno occupantur integræ: in refectione etiam corporis, & relaxationibus animorum, plures horæ, dies & menſes tranſiguntur. Compenſanda igitur hæc ſunt, mortificatione eiuſdem corporis.

Octaua, corpus noſtrum, ipſum per ſe ſecluſis omnibus alijs, eſt impedimento animæ

in via perfectionis, ne scilicet illa pro deside-rio suo studium perfectionis arripiat, ne vt o-portet in via eiusdem ambulet: cùm non possit idem corpus sine mortificatione æquali passu cum anima in hac via currere, vt pote grauè & terrenum, quare mortificatione debet effici le-uius & agilius.

Nona, vitia, cupiditas & passiones nostræ (quorum omniũ mortificandorũ necessitatẽ su-pra vidimus) non possunt bene mortificari, ni-si etiam caro nostra mortificetur, quod etiam iam vidimus. Legimus certe Danielem virum sanctum, prius destruxisse idolum Bel: c. 14. & postea draconem ibidem latentem occidis-se; ita caro nostra prius mortificanda est, vt in-ternus hostis vitij alicuius, aut passionis debel-letur. Imo mortificando carnem, simul quoq; mortificamus passiones ipsas: eò quod vt vidi-mus habeant illæ domicilium suum, & nutri-mentum in carne, quâ debilitatâ, impetus quoq; frangentur earum; prõptiùsq; imperium ratio-nis subibunt. Hoc pacto S. Benedictus castiga-tione carnis, quam nudam in vepres iniecerat, cupiditatis ac luxuriæ ardorem interiorem ma-lum extinxit, quem sentiebat S. Bernardus. idẽ incendium aqua gelida in quam se immerserat, expugnauit. S. Franciscus niuibus has Babilo-nicæ fornacis suscitatas flammas compescuit ac iugulauit. S. Iacobus eremita igne, in quem ma-num imposuerat: deniq; monialis quædam a-

doleſcen-

dolescentula, liquata cera & ardente, quam in pedem defluere sinebat, vt habetur in vita S. Brigidæ, Mense Februario, irruentis huius luxuriæ impetum repressit.

Decima, quia castigatio hæc corporis, quãuis in illo nulli essent lasciuiæ impetus, vel aliquæ aliæ inordinationes, medium est & adiumentum non vulgare, imo efficax ad adipiscẽdas virtutes & consequendam perfectionem. Innuit id clarissimè S. Hieronymus, seu potius S. Paulinus ad Celantiam, locum illum Apostoli: *Castigo corpus meum*, discutiens contra quosdam imperitos, qui putabant id ab Apostolo factitatum, solùm propter castitatem corporis in integro conseruandam. *Non enim huic tantummodò*, inquit, *sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur; neq; magna, aut tota Apostoli gloria est, non fornicari, sed hoc agit, vt castigatione corporis erudiatur animus, quantoq; minus ex voluptatibus concupiscit, tanto magis possit de virtutibus cogitare.*

Vndecima, quia exercitium hoc exterioris mortificationis, multùm promeretur homini apud Deum, & facilè impetrat ei ab eodem multa auxilia gratiæ ad vincendas passiones, ad debellanda vitia, ad acquirendas virtutes, ac perfectionis viam fideliter emetiendam. Et propterea Sancti, quoties volebant, vt oratio illorum id quod petebant, impetraret à Deo, adiungebant illi mortificationem exteriorem, & obtinebant. *Quoties verò virtutum à Deo aliquid*

obtinere conati sunt, inquit S. Cypr: Serm: de ieiunio, *ieiunijs incubuêre & lachrymis*. Scimus S. Dauidem & nobiles eius, vestitos cilicijs Deum placâsse 1. Paralip: 21. S. Bernadus Serm: 3. de Epiph. ait, Carnis afflictionem & mundi contemptum esse duas alas orationis, quæ illam in cœlum eleuant, vt impetret, quod ipse orans petit à Deo. Et quia afflictio corporis veluti currus est, quo vehitur oratio ad conspectum Dei, propterea Ecclesia à Spiritu sancto edocta, censuit orationi addendã esse corporis afflictionẽ.

Duodecima; mortificatio exterior corporis, intimiùs nos Deo coniungit, & multum nobis confert ad exactum mandatorũ Dei, & etiam Regularum Religiosorum obseruationem, ac proinde & perfectionis acquisitionem; vt colligitur ex decima ratione, & per se clarũ est.

Decimatertia; Hæc eadem mortificatio corporis, etiamsi illud plenè subditum esset rectæ rationi, pertinet ad integritatem, & ornatũ perfectionis. Id existimo indicare voluisse D. Basil: cùm dixit in Constit: c. 4. *Quia ex duplici materia constamus, duplex quoq; nobis debet esse virtutis studium, idq; tum strenuitate corporis, tum animi etiam industriã exerceri.* Et Ricardus super c. 2. Cant: *Perfectus est, qui virtute spiritus, & voluntates carnis, & voluntatem cordis, potenter comprimit, id est corpus & animam.*

Decimaquarta & vltima, quia propter eundem finem, nimirum perfectionem assequendã,

qui pro-

qui proprius est nostræ Societatis hominum finis, enixè commendatur nobis, tanquam efficacior post Orationem ad id ratio; à B. P. N. Ignat: Reg: 4. Sum: hæc externa mortificatio, seu afflictio corporis. Verba illius sunt: *Quamuis ratio nostra viuendi, iustas ob causas, & maius Dei obsequium intuendo, nullas ordinarias pœnitentias, aut afflictiones corporis ex obligatione subeundas habet: illas tamen assumere quiuis poterit, quæ sibi videbuntur cum approbatione Superioris, ad maiorem sui spiritus profectum conuenire, & quas propter eundem finem Superiores poterunt eis imponere*: quam rem fusè explicat Pater noster Claudius Aquauiua Generalis, in epist: sua, hac de re data ad omnes.

In qua præter alia, hæc duo docet: Primũ, licet B. P. N. singulari cum prudentia, propter maximam naturarum, nationum, negotiorum, muniorum, aliarumq; circumstantiarum in Societate varietatem, nihil ex vi Regulæ æqualiter ab omnibus tenendum iniunxerit: mentem tamen suam, eadem ipsa Regula & Constitutione satis euidenter, ita vt nulli super ea re dubium esse possit, patefecisse; necessarium scilicet nobis esse, præter mortificationem internã, etiam externam; & insistendum nobis esse viæ asperæ, à Sanctis viris tritæ & calcatæ, & deniq; vti nos debere medio hoc, si in via perfectionis progredi cupimus. Alterum est, ne in vsu huius mortificationis peccetur in alterutram partem, vel in nimio, vel in pauco, vel excessu,

vel defectu, vt tantam scilicet adhibeamus, quã-ta est necessaria, & cui ferendæ pares simus, iudicare Superioris esse, & Confessarij, posseque hos hortari nos ad eiusmodi pœnitentias, & easdem imponere. Et hoc vtrumq; conforme est Regulæ, quam Angelus à Deo dedit S. Pachomio. Iubetur enim ibi Superior vnicuique Religioso imponere pœnitentias, iuxta mensuram cui ferendæ sufficiat. Monemur tamen in Reg: 48. Sum: Corporis nostri castigationẽ immoderatam esse non debere, nec indiscretã in vigilijs, ieiunijs, disciplinis, ac ciliciјs, eo quòd maiora bona impediri possent. Rationabile enim obsequium nostrum debet esse, vt, docet Apostolus ad *Rom*: 12. hoc est, vt explicat S. Basil: in reg: breuior: 2. 30. & S. Naz: Apol: 1. prudens, moderatum, & discretum ad Dei gloriam, ita vt discretionis Sale hoc sacrificium condiatur ac temperetur. Sed & ratio id suadet, quia mortificatio hæc corporis, cùm sit afflictiua & pœnalis, non est absolutè secundum se bona, sed bona sicut medicina, vt medeatur malo, & purget humores, vel vt impetret aliquid à Deo. Et propterea cum mensura necessitatis sumi debet, & consilio spiritualium virorum: aliàs possent impediri maiora bona; quod de se testatur S. Hieron: *Experientiâ*, inquit, *didici, asinum cùm lassus fuerit, diuerticula quærere.* Certum tamen est etiam & illud ex alia parte, vt notãt SS. Patres, carnem nostram sæpè mentiri se iam

mortifica-

mortificatam esse, & inualidam, ac infructuosam, & impediri hac mortificatione à maioribus bonis: quare cauendum esse solerter ab ea, monet Humbertus in regulam S. August. Quin & ipse B.P. Ignatius, qua parte de victu moderando, in exercitiorum libello differit, apertè significat in pœnitentijs intermittendis, persæpè nos subdolæ carnis affectu seduci, persæpè falsa persuasione deludi, qua ad credendum impellimur, tam graues à nobis, sine valetudinis detrimento, afflictationum asperitates nō posse tolerari. Hæc sufficiant de hac materia, plura ex eadem ipsa epistola peti possunt.

Iam verò ex hactenus dictis, hunc fructum colligamus, vt non solum afflictioni corporis nostri, benè animo afficiamur, sed etiam eam re ipsa pariter & animosè assumamus, ac frequētemus, vt ad perfectionem concupitam, etiam hac via, peruenire possimus.

CAPVT XXXVIII.

Quærenti Perfectionem, propriæ voluntatis necessaria est abnegatio.

ABnegare secundum Etymologiam suam, nihil aliud est, quàm denegare alicuius petitionem; atq; ita in materia proposita, abnegare voluntatem propriam, erit denegare id, quod illa poscit. Vsus autem est hoc verbo Saluator noster, vt legimus apud S. Matth: c 16.

& apud S. Lucam, c. 9. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*; in quo etiam abnegatio voluntatis tanquam pars includitur. Et ab hoc verbo, *Abnegare*, deducitur *Abnegatio*, id est, denegatio alicuius petitionis. Aduertendum est autem, plus aliquid esse abnegare, quàm negare; vt bene monet S. Chrysost: Hom: 56. vbi sic ait: *Si intelligis quid sit alium abnegare, tunc rectè percipies, quid sit abnegare te ipsum, aut voluntatem propriam. Nam qui alium*, inquit, *abnegat, fratrem puta, aut seruum, aut quemuis alium, si cædi eum virgis videat, si arctari vinculis, vel aliud quidpiam mali pati eum conspexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus vllo modo mouetur, ceu ille qui penitùs ab illo alienatus est. Sic igitur nullo modo nos corpori nostro, voluntati, & nobis ipsis parcere vult; vt neq; si cæditur, neq; si vritur, neq; si aliquid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus, aut moueamur, &c. Non dixit enim Saluator, neget, sed Abneget, vt hac adiunctiuncula plurimum addat, cùm abnegare, multò plus sit profectò, quàm negare.* Hæc ille. Abnegare igitur, erit negare peculiari modo, seu denegare tanquam hosti & maximo aduersario. Abnegationem sic definit S. Basil: in reg: fusius disp: 6. est *Recessio à propria voluntate.* Qui plura scire cupit de abnegatione, legat Busæum in Viridario, V. Abnegatio. Aluarez tom: 1. lib: 5. p. 3. c. 44 Fatium de mortificatione, c. 9. Rosignolium, lib: 2. de discipl: Christiana.

Nomine autem propriæ voluntatis intelligitur

ligitur non solus prauus aliquis appetitus intellectualis, seu qui per se sequitur cognitionem intellectus; sed etiam is, qui in eo quod vult vel appetit, non est conformis voluntati diuinæ, aut Superiorum, aut deniq; proximorum; vt v. g. qui vellet vigilare, & vigilaret, eo tempore quo non est ex præscripto diuinæ voluntatis vigilandum, aut non secundum ordinis statuta, iussionemué prælati, aut deniq; necessitatem; is enim censeretur facere, id quod propria voluntas dictaret. Ita explicat S. Bern: Ser: 3. de Resur: cuius hæc sunt verba: *Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo, & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmet ipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satis facere proprijs motibus animorum.* Idem fermè dicit S. Ansel: de similitud: c. 6. *Propria voluntas*, inquit, *est, quæ Dei voluntatē aduocatam sibi habere non potest, vt si quæratur, cur hoc, aut illud velit, respondere veraciter non valet, quia & Deus vult vt hoc velit.* Dupliciter autem potest esse voluntas nostra propria, seu non communis & conformis Deo & hominibus; Primò, quoad substantiam rei quam ipsa vult, & Deus non vult, vel Ecclesia, &c. vt v. g. loqui extra tempora assignata ad loquendum, & extra necessitatem: Secundò, quoad modum rei volitæ, id est, si rem quidem ipsam vult, quam Deus etiam vult, sed non eo modo quo Deus vult, vel

Religio;

Religio : sed alio, v. g. clamose loqui in recreatione; modus enim hic esset ex propria voluntate. His positis. Non omnes omninò causas, rationes, seu necessitates abnegandæ propriæ nostræ voluntatis hîc exponam : hæc enim & nimis res prolixa esset, & non ad institutum nostrum. Eas ergo tantum adferam, quæ in ordine ad perfectionem quærendam & consequendam, huius abnegationis necessitatem efficaciter persuadebunt. Erunt autem duodecim aliæ causæ, quæ in communi necessitatem eius probant, videri possunt apud Auth: quos paulò ante citaui: & præterea apud eundem Alua: tom: 2. lib; 2. p. 3. c. 7. & apud Busæum in Panario, seu arte medica V. Voluntas propria.

Prima igitur necessitas abnegandæ propriæ voluntatis in ordine ad perfectionem est, quia Deus plurimùm odit propriam nostram voluntatem : quod si ita est, quomodo perfectionem existente in nobis propria voluntate, poterimus quærere & assequi ? cùm ad hoc peculiaria auxilia gratiæ Dei sint necessaria, quæ non largietur Deus ijs quos odio habet. Odio autem & quidem magno habere Deum, voluntatem nostram propriam, docent SS. Patres, Et disertè S. Bernar: l. c. vbi postquam dixit, voluntatē nostram propriam exercere inimicitias contra Deum, & magno furore Dominum maiestatis impugnare, subiunxit: *Quid enim odit, aut punit Deus, præter propriam voluntatem ?* Magnus etiam

ille Abbas Isaias, de perfect: Orat: c. 23. cum de propria voluntate loquitur, sic ait: *Aperiendi sunt oculi, vt nos ipsi cognoscamus, sciamusq; Dei inimicum constitui, qui propriam sequitur voluntatem.* Deniq; de eadem, hæc scripsit B. Iustin: de discipl: *Grauissimum,* inquit, *à se onus abiecit, qui suam repulit voluntatem: propria voluntas semper Deo inimicatur, &c.* Cur autem tantoperè exosa, inuisaq; sit hæc propria voluntas Deo, reddunt multas rationes SS. Patres, diuersi diuersas; quia scilicet volūtas propria hominem subtrahit & subducit dominatui Dei, quia ipsa erigit se supra Dei voluntatem, quia talis voluntas, mater est omnium peccatorum & scelerum, quæ tria dicit S. Bern: l. c. quia voluntatem Dei, propria volūtas, ad seipsam deflectere & curuare conatur; vt scribit S. Aug: in Psal: 123. quia recta in rationem, & pietatem euertit; quod asserit S. Basil: in reg: breu: 123. *Vti,* inquit, *propria voluntate, arbitrioué, alienum est à ratione, sed etiam contumaciæ ac peruicaciæ periculum.* Et eodem loco, & 74. sic testatur de eadem: *Quidquid quisq; ex propria voluntate arbitrioué facit, id cum facientis propriū sit, alienum est à cultu, & cultoribus pietatis.* denique quia homo per propriam voluntatem, similem se facit Deo, & quasi aufert illi priuilegium propriæ voluntatis; vt affirmat S. Ansel: l. cit: c. 8. Sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo.

Secunda necessitas est, quia nimis difficilè

est, vt

est, vt non dicam plus, peruenire ad tranquillitatem animi, quam ad consequēdam perfectionem necessariam sæpius vidimus, sine abnegatione propriæ voluntatis, etiamsi alia omnia in homine mortificata fuerint. Affirmat hoc Abbas Isaias, supra cit: Serm: de abrenunc: *Si non vacant*, inquit, *homini interiori, & proprias amputant voluntates, nunquam potientur illa.* Et S. Diadochus c. 87. *Deus*, inquit, *punit intemperantiam nostræ voluntatis*, (hoc est immortificationem, seu defectum abnegationis illius) *priuatione tranquillitatis & consolationis.* Aliorum Patrum testimonia circa hoc ipsum mox videbimus. Sed & ratio hoc ipsum ostendit: Quia propria voluntas est seminarium, & fons omnium perturbationum, vt etiam experientia docet; quid mirum igitur, si absq; abnegatione illius, tranquillitas animi, vel difficulter, vel nullo modo haberi potest?

Tertia; quia impossibile est, absq; hac abnegatione ipsam acquirere perfectionem. Audiamus Cass: de ea re, lib: 4. Instit: c. 8. sic discurrentem: *Seniores multis experimentis edocti pronunciant, Monachum nullatenus præualere ad summa perfectionis culmina ascendere, nec iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere; sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuã, nec firmam diuturnamq; posse retinere concordiam, sed nec in cœnobio quidem diutius permanere, eum qui prius voluntates suas non didicerit superare.* Et propterea,

vt idem ait eodem loco, *hæc ærat potissima cura antiquorum Patrum in instruendo Nouitio, vt doceat eũ Senior, primitùs suas vincere voluntates; quem studiosè in his, ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare curabit, quæ senserit animo eius esse contraria.* B. etiã Dorotheus Ser: 17. & 19. vnumquemq; Religiosum, si verè vult perfectionem & pacẽ animi assequi, hortatur, vt abneget propriam voluntatem: *Coge te ipsum,* inquit, *in cunctis, & vince, & voluntatem tuam inprimis abscinde. Si enim cõsueueris voluntatem tuam amputare, habitum indues Christi gratia & misericordia, quo omnia sine molestia, aut repugnantia perficies, teq; perfectè asseres in libertatem.* Deniq; S. Basilius in Const: monast: vbi ostendit similitudine quadam, magis esse necessariam abnegationem propriæ voluntatis, ad acquirendam perfectionem, & simul tranquillitatem animi, quàm mortificationem carnis, cupiditatis, passionum, ac vitiorum; quia si prior illa adsit, etiamsi hæ posteriores defuerint, non ita timendum est homini, nec possunt illa omnia ita esse perniciosa illi, & nociua. Quemadmodum enim equus, quamuis indomitus & effrenis, si tamen strenuum ac peritum habeat sessorem, nemini nocet: sic etiam corporis viuacitas, cupiditas scilicet, passiones illius, ac vitia ipsi inexistentia, non adeò illi perniciosa esse solent, qui ad ea refrænanda prompto est animo, ac vigilanti, vt decet. Contra verò sicuti patrefamiliâs peregrè abeunte, mox

canes domestici, hac, illac, insolenter vagantur, importunis latratibus omnia complent, & morsibus quosuis obuios aggrediuntur; ita cùm voluntas propria solutis habenis euagatur, & impunè grassatur per sua desideria, passiones corporis, veluti proterui quidam ac feroces molossi passim effusi, animam peruicaciter impugnatam, discerpere tandē ac dilaniare non veretur.

Quarta; quia hæc abnegatio, iuxta Sententiam SS. Patrum, & Magistrorum vitæ spiritualis, est instrumentum sequelæ Christi, & perfectionis adipiscendæ, ac quintus gradus ad eam: quod colligunt ex verbis Christi, Luc: 19. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ita verò se hanc rem habere, vidimus ex Cass. & alijs, præcedenti necessitate. Climacus verò de gradibus, c. 16. plus aliquid affirmat, nam ait: *Ille profectò sanctus est, qui voluntati suæ abrenunciauit.* Et Isichius l. 7. in Leuit: c. 27. *Talis ergo est, sicut qui vsq; ad culmen virtutis proficit, & mensuras contingit perfectionis, mortuus enim est sæculo, & à præsentibus alienus, & olim à mundi migrauit sapientia.* Dicere vult, eiusmodi qui abnegauit semetipsum, voluntatem videlicet propriam & iudicium, perfectum esse. Addunt SS. Patres, super verba S. Lucæ citata, scribentes; Eum qui non consectatur hanc propriæ voluntatis abnegationem, frustra bona externa contempsisse, & vitam religiosam arripuisse; dedit enim Domino lutum auri & argenti, ac

stercus

ſtercus diuitiarum, & gemmam voluntatis ac iudicij ſibi retinuit. Et ob hanc cauſam Religioſi eam Deo conſecrant, & votum Obedientiæ ad abnegandam hanc propriam volũtatem emittunt, ne ſcilicet in via perfectionis errent, ſed obediendo, vt oſtendi ſupra, quærant eam, & tandem inueniant. Errant igitur ijdem, & contra virtutem Obedientiæ promiſſam agunt, cùm voluntatem propriam ſequũtur, imò quod plus eſt, vt addunt SS. Patres, contra vitã ſuam ſpiritualem delinquunt, nec eo tempore vitâ illâ viuunt; eſt enim, inquiunt, de ſubſtantia talis vitæ obedientia, & conſequenter abnegatio propriæ voluntatis. Docet hoc inter alios Cæſarius, frater S. Greg: Naz: hom: 27. *Non te fallat*, inquit, *ô frater, numerus dierum, quos hîc relicto corporaliter ſæculo conſumpſiſti. Illum tantùm diem vixiſſe te computa, in quo voluntates proprias abnegâſti, quem ſine vlla regulæ tranſgreßione duxiſti.*

Quinta; quia nihil Deo gratius ab homine offerri poteſt, quàm abnegatio propriæ voluntatis; vnde neceſſariò ſequitur, magni meriti ipſam eſſe apud Deum, plurimumq; ſuper omnia alia valere ad impetrandam ab ipſo, & conſequendam perfectionem. Hoc quod dixi de abnegatione propriæ voluntatis, clarè & disertè docet Bloſius, lib: de Inſtitut: vitæ ſpiritualis, c. 2. vbi reddit ſimul & rationem, cur Deo nihil gratius illa offerri poſſit: *Quia*, inquit, *homini nihil eſt charius ipſa voluntate, & arbitrij liberta-*

te; maioremq; hanc esse rem, etiam in minimis rebus propriæ voluntati reluctari, & eam mortificare, quàm multos ad vitam reuocare. Idem asserit S. Gregor: lib: 6. in 1. Reg: c. 2. ac propterea affirmat tales in cælestibus regnis, & abstinentibus, & flentibus excellere. Et S. Tho: 2. 2. q. 186. a. 5. ad 5. & Cass: coll: 18. c. 17. Sed loquuntur illi de abnegatione propriæ volūtatis, quæ consistit in subiectione eiusdem voluntatis Superiori, de qua re certum est; nam obedientiâ nihil gratius Deo, & melior quàm victima, per quam non aliena caro, sed propria voluntas, quæ nobilior res est, vt affirmat S. Greg: lib: vltimo mor: c. 12. mactatur.

Sexta; quia abnegatione voluntatis, seu mortificatione, extirpantur atque marcescunt vniuersa vitia, ac proinde multum illa confert ad perfectionem. Ita Pinuphius apud Cass: lib: 4. Instit: c. 8. & ipse Cass: c. 43. cuius rei rationem vidimus ex S. Basil: in 3. necessitate.

Septima. Abnegatio propriæ voluntatis, generatur ex humilitate & submissione, & hæ vicissim ex illa, sicut adhæsio propriæ voluntatis, & eius obstinatio, ex superbia proficiscuntur. Docet hoc Cassia: l. c. Hinc verò patet, quàm necessaria sit ad perfectionem acquirendam, abnegatio propriæ voluntatis, si quidem per eam & superbia expugnatur, quæ maximo est impedimento perfectioni, & humilitas augetur, quam prærequirit perfectio, veluti fun-

damen-

damentum, & custodem omnium virtutum.

Octaua; docent clarè & disertè regulæ nostræ, inprimis expedire, & valde necessarium esse ad profectum, & perfectionem assequendam, vt vnusquisq; nostrûm, conetur habere veram interius resignationem, & abnegationẽ propriæ voluntatis & iudicij; in eaq; vt se cum diuina gratia exerceat, ac nihil prætermittat omninò quod ad hanc abnegationem confert, deniq; voluntatem ac iudicium suum, cum eo quod Superior vult & sentit, in omnibus vbi peccatum non cerneretur, omninò conformet. Ita in Summar: Reg: 31. & seq. & in Paragr: 2. & 3. Instruct: pro ijs qui tertiũ annũ sunt acturi.

Nona; probant eandem necessitatem exẽpla eorum, qui voluntati propriæ perfectè abrenunciârunt, sicq; facilè & expeditè ad culmen perfectionis peruenêre. Legimus & audiuimus multa talia, etiam in historia nostræ Societatis.

Decima; abnegatio propriæ voluntatis, maximè cum vera resignatione eiusdem in manus Superioris, facit hominem expeditum, ad currendam viam perfectionis. Significauit hoc Clim: de Obedientia, gra: 4. cùm dixit de Religiosis, qui se ad hunc modum resignant: eos esse, qui sarcinam suam alterius collo imponũt, & aliorum manibus subleuati, natantes hoc mare magnum traijciunt.

Vndecima; hæc eadem abnegatio propriæ voluntatis, cùm coniuncta est cum subiectione

eiusdem voluntati Superioris propter Deum, securum facit hominē in via perfectionis, imò & ipsa vita; nam Superior pro ipso redditurus est rationem Deo; vt inquit S. Basil: in reg: fus: disp: 48.

Duodecima; quia ad ostendendam necessitatem abnegandæ propriæ voluntatis in ordine ad perfectionem, Christus Dominus perfectissimè abnegauit suam voluntatem, quãuis semper bona extiterit; vt nos, suo exemplo, nostras abnegare ac mortificare doceret. Abnegâsse verò ipsum suam voluntatem, docent illa: *Quia non quæro*, inquit, *voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*; Ioan: 5. Et cùm in horto oraret positis genibus, dixit: *Pater, si vis transfer calicem istum à me, verum tamen non mea, sed tua voluntas fiat*, Luc: 22. Et; *Non sicut ego volo, sed sicut tu*; Matth: 26.

Ex his colligitur, in omnibus, tum internis, tum externis, abnegandam esse nobis propriam voluntatem: & cùm nescimus quænam sit voluntas Dei, aut Superiorum, nec scire possumus, nullam rem velimus nisi propter Deum, & ad explendam eius voluntatem, si ipsi hòc placet. Non potest autem meliùs abnegari à nobis Religiosis propria voluntas, quam Obedientiâ; si eam scilicet Deo præstemus, & Superioribus nostris propter Deum, ad quam etiam nos voto obstrinximus, & consecrauimus; quæ abnegatio ad eadem omnia se extendet, ad

quæ &

quæ & pia Obedientia. De abnegatione Religiosorum, quoad mutationem locorum & officiorum, pulchra habet Ludou: de Ponte, to: 3. tr: 6. c. 21. & 22. vbi etiam docet, quid considerandum sit Religioso, vt nullam repugnantiā habeat, circa ea quæ imponuntur à Superiore, etiamsi difficilia sint, & plena incommodis.

CAPVT XXXIX.

Necessaria est quoq; mortificatio proprij iudicij & intellectus.

SIcut supra ex S. Bern: voluntatē propriā definiuimus, eā esse, quæ nec Deo, nec hominibus conformis est: ita hîc illud esse iudicium proprium, quod nec Dei, nec maiorū, aut aliorū prudētum virorū, iudicio cōforme est, sed singulare nostrū, ab aliorum sensu & sententia dissentiens. Consuetum enim est, imò & innatum intellectui nostro, singularem esse & tenacem iudicij proprij: efficiendum igitur est, mediâ mortificatione, vt sit tractabilis, docilis, ac conformis iudicio ac sententiæ suorum Superiorum, vel aliorum prudentiæ ac virtute insignium; idemq; quod illi sentiat. Subijciendus itaq; est & ipse, & iudicium ipsius, iudicio talium, ad idem scilicet cum illis sentiendū: quod cùm facimus, illum mortificamus, & hæc subiectio illius, est eiusdem mortificatio.

Necessitas verò huius rei faciendæ in or-

dine ad acquirendam perfectionem, sufficienter constat ex ijs, quæ hactenus diximus, de mortificatione cupiditatis, passionum, ac voluntatis propriæ, & deniq; quod iter perfectionis non est ingrediendum sine Magistro. Sunt tamen peculiares etiam quædam causæ: quarum Prima est; quia impossibile est perfectè abnegare propriam voluntatem, sine hac mortificatione iudicij proprij & intellectus. Abnegatio enim intellectûs, sternit viam abnegationi voluntatis; nihil namq; appetit voluntas, quod ei ab intellectu ante non fuerit propositum: igitur vt voluntas seipsam abneget, debet illi proponi ab intellectu, necessarium esse, vt illa subijciat se alterius voluntati, & consequenter iudicio: hoc verò præstare illa perfectè non poterit, nisi impellat intellectũ, vt ipse seipsum quoq; abneget: intellectus verò abnegatus, vicissim voluntatis abnegationi subsidio erit. Secunda causa; quia impossibile est, vt is qui suo fidit iudicio, & à communi sententia sapientum, & maximè Superiorum (si eos habet) discedit, non decipiatur in via virtutum ac perfectionis, illusione diaboli, & in plurimos errores non incidat. Ita Cassia: totidẽ verbis col: 2. c. 11. Probat eandem rem exemplo Heronis Monachi, col: 2. c. 5. Agit de eadem re, etiã col: 16. c. 12. E contrario verò, sicut idem docet ex Sententia Abbatis Moysis, col: 2. c. 10. nullatenus is decipietur, qui non suo iudicio,

sed ma-

ſed maiorum viuit exemplo. Docet autem hoc & experientia; nam non aliunde ſunt in mundo hæreſes, & varij alij errores, quàm ex immortificatione iudicij proprij. Deniq; hoc ipſum probat & ratio. Plurima enim vulnera accepit intellectus noſter per peccatum primi parentis: v.g. ignorantiam & cœcitatem, quas neceſſariò ſequitur error, de quibus fusè diſſerit Crombec: lib: 1. de ſtud: perfect. c. 17. & oſtendit excludi ab his vulneribus perfectionem, niſi per gratiam mediatoris ſanentur, & niſi homo addiſcat iudicium ſuum, prudentum & maximè Superiorum, iudicio ſubdere. Tertia; quia ſicut ſignum eſt magnæ humilitatis, teſte Abbate Moyſe l. c. S. Baſil: & Bern: mox citandis, abnegâſſe proprium intellectum; ita maximæ ſuperbiæ indicium eſt in omnibus ijs, quæ vel ad propriam perſonam, vel ad aliorum gubernationem, aut directionem ſpectant, ſuum iudicium cæteris omnibus, numero & conditione maioribus, & maximè Superioribus, præferre. Quarta; immortificatio proprij iudicij, eſt cauſa plurimorum peccatorum, ſicut è contrario, abnegatio eiuſdem, origo plurimarum virtutum. S. Baſilius reg: breu: 112. aſſerit eos qui proprium iudicium ſequuntur, contumaciæ & peruicaciæ periculum neceſſariò incurrere. S. Bern: Serm: 3. de Reſur. numerat hoc inter peccata maxima, ſi repugnet quis ſuo iudicio, communi alicuius religioſæ congregationis iudicio. ex

hoc fonte oriuntur pertinaciæ, præsumptiones, contentiones, discordiæ, irrisiones aliorum, curiositates, cogitationes inquietæ, vanæ, nugatoriæ, ac perniciosæ; confusiones, & alia plurima, quæ & ipsum à quo fiunt, & alios, imò mundum perturbant vniuersum. Contra quæ omnia efficax remedium mortificatio proprij iudicij. Quinta, vbi non est abnegatio proprij iudicij, ibi perfecta obedientia esse nequit, & diuturna esse non potest: quod docet & probat B. P. N. Ignatius, in aurea illa sua epistola, de Obedientia. Sexta, quia hæc immortificatio, maxima est infirmitas animi nostri, quæ illum ita debilem reddit, vt non possit progredi in via perfectionis. S. Bern: Serm: cit. appellat hanc infirmitatem *lepram, quæ lepra*, inquit, *proprij consilij peior est illa aliâ propriæ voluntatis, eoq; perniciosior quod magis occulta; & quo magis abundat, tanto quisq; sanior sibi esse videtur.* Septima; non potest proficere, qui immortificatum habet intellectum. Ostendit hoc similitudine S. Anselmus de similitud: c. 142. *Sicut qui cultrum proprium nimis obtusum habet, & alieno non vult vti, famem patiatur, aut etiam eâ pereat necesse est: ita qui proprio iudicio regitur, quod obtusum nimis est, & alieno ad discernenda sua non vtitur, nihil incidet, & profectûs spiritualis fame peribit.* Iuuat hîc attexere monita, quæ Ioannes Auila, magnus virtutis Magister, dedit Iacobo Gusmano, & Gaspari Loarti ad Societatem IESV, è sua schola & disciplina profectu-

ris: nam

ris: nam inter alia, quæ prolixa oratione illis cõmendauit, documenta egregia, si perfectionem consequi vellent, hæc de suiipsius renunciatione tantoperè homini Religioso necessaria, præcipit obseruanda. *Confortamini*, inquit, *in Domino, & in potentia virtutis eius, vt penitus renuncietis vobis ipsis, non cupiditati solùm ac voluntati, sed potissimùm intelligentiæ ac sensui vestro. Hic est consolationis cœlestis exterminator, hostis pacis, satelles contumax, censor Superiorum, pater dissidij, rebellis obedientiæ, idolum in loco Sancto Dei stans, quod, iterum atq; iterum moneo, vt demoliamini, vt Deus ibi per fidem regnet. multa fiducia persuasum habentes eum id velle, quod præsides vestri præcipiant, id vnicum solatium ac profugium habetote, id quamdiu stabit, rectè vobiscum erit.* Idipsum etiam Doctori Olauio, Sacram Theologiam in Collegio nostro Romano magno applausu docenti, præclarâ, pro veteri amicitia, commendauit epistolâ; nimirum vt ab iudicio proprio, tanquam à capitali hoste, etiam atq; etiam caueret; inde doctos discrimen maximè periculosum incurrere, quorum multi iusto Dei iudicio arceantur ne degustent ex arbore vitæ, quod immodicè ex arbore scientiæ pasti sint. Profundam orationem, simplicitatem cordis, consuetudinem cum simplicibus, contra inflantem scientiam remedia esse, contraq; iudicij proprij pestem, in qua depellenda non minus laborandum esse, neq; languidiùs, quàm in remouenda prius inscitia laboratum sit.

tum sit. Hæc ille. Octaua & vltima, exemplum Christi Domini, qui teste S. Bernar: l. c. abnegauit intellectum suum, vt se, matri suæ sanctissimæ, & S. Ioseph subijceret: quantò ergo magis nobis hoc ipsum faciendum est, vt perfectionis viam ignotam fæliciter absq; errore decurramus.

Mortificandus autem est intellectus, non solùm in speculatiuis, cùm scilicet speculatur veritatem; sed etiam in practicis & agibilibus, cùm scilicet iudicat & discernit de rebus, quid in quaq; re tenendum & agendum sit. Nobis autem Religiosis mortificandus est semper, hoc est in omnibus iudicio Superiorum subijciendus; *nam qui aliquando hoc facit, & aliquando non, comparandus est ei*, inquit Clim: grad: 4. de Obedientia, *qui oculis suis modo collyrium, modo calcem imponit*: nam collyrium imponit, quo oculos suos sanet, cùm superioris sententiam sequitur: calcem verò adhibet, quæ oculos corrumpat, cùm proprio iudicio gubernatur.

CAPVT XL.

Vnicuiq; ad Perfectionem contendenti, necessaria est cognitio suiipsius.

DE hac materia, vtpotè maximoperè cuilibet necessaria, decem puncta, seu quæsita, breuiter, ordine tamen seruato, expediam.

Primum punctum. Quid est cognitio sui-

ipsius &

ipsius, & seipsum cognoscere? Respondent primò quidam per negationes, quod Philosophi sæpè faciunt, definientes naturas rerum; est, inquiunt, cognitio, qua cognoscimus non aliena, non nostra tantùm, sed nosmetipsos. Secundò, sic alij per positiua definiunt, est notitia, qua homo ad mouendum affectum honestum, v. g. ad componendam propriam vitam, & corrigendos mores, seipsum, animam suam, & corpus, quoad naturalia & moralia cognoscit, & quid ex se habeat, quid verò ex Deo possideat, attentâ mentis consideratione discernit. Alij dicunt esse cognitionem, qua cognoscimus naturam nostram, & mores. Ad naturæ cognitionem spectant, inquiunt, potentiæ eiusdem; ad mores verò, quales scilicet sint, spectant appetitiones sensitiuæ, & rationales, inclinationes, vitia, peccata, deniq; virtutes. Quidam docent ad sufficientem suiipsius cognitionem, has nouem veritates oportere noscere. Quid fuerit ante homo, v. g. hic homo indiuiduus, qui ipse est, quid sit idem homo, quid fututus sit postea, quid potuerit, quid nunc possit, quid posthac poterit, quid fecerit, quid nunc faciat, quid deniq; in futurum facturus sit. Origenes hom: 2. in Cant: ostendit, quid anima nostra de se cognoscere debet: *Intelligat*, inquit, *anima cuiusq;, si boni affectus sit, aut non boni, aut recti propositi, aut non recti; & quidem si recti sit, si erga omnes virtutes eũdem tenorẽ habeat, tã in intelligendo, quàm in agẽdo, an erga*

necessaria

necessaria tantùm, quæ in promptu sunt: & vtrum in eo sit, vt recipiat profectus, vt augeatur in intellectu rerum, augmentoq́; virtutum, an in isto stet, & resideat, in quod potuit peruenire; & vtrum erga seipsam tantum vacet excolendam, an alijs prodesse, & conferre aliquid vtilitatis studeat, vel in verbo doctrinæ, vel in exemplis gestorum. Si vero cognoscat seipsam non esse boni affectus, neq; recti propositi in hoc ipso vt intelligat, vtrum ei satis desit, & procul à via virtutum sit, an in ipso iam posita sit itinere, & incedere iam conetur, cupiens quæ ante sunt apprehendere, & quæ retro sunt obliuisci, sed nondum appropinquauerit; aut proxima quidem sit, non tamen ad perfectionem venerit. Sed & in eo opus videtur esse animæ cognoscenti semetipsum, scire hæc ipsa quæ operatur mala, an ex affectu & studio operetur, an fragilitati quædam, & vt ille ait, quod quasi non vult agens, & quæ odit faciens, & rursus ea quæ bona sunt affectibus, & recto proposito gerere videatur; v. g. si iracundiam apud aliquos quidem cohibet, apud aliquos verò effert, an semper eam cohibet, & apud nullum omninò profert. Similiter & tristitiam, si in aliquibus quidem negotijs vincit, in aliquibus autem recipit, an in omnibus omninò non recipit. Ita & timorem aliaq; similiter, quæ virtutibus videntur contraria. Sed & S. Augustinus lib: de Spiritu & anima, non dissimilem tradit modum cognoscendi seipsum: *Scito*, inquit, *teipsum, scito vnde venisti, aut quo vadis, quomodo viuis, quantum pro-*

ficis, vel deficis, quàm longè es à Deo, vel quàm propè, non interuallis locorum, sed similitudine, vel dissimilitudine morum. Scito quomodo homo es, cuius conceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori necesse. Attende ergo sollicitè quid agas, vel quid agere debeas: Si quod faciendum est facias: si bono operi malum aliquid non admisceas; si bonum quod agis, quantá oporteat deuotione adimpleas: si bonum alterius vt tuum diligas: si tuum, vt alterius malum reprehendas: si sic declinas à malo, vt facias bonum. Deniq; Hugo Victor: de anima, c. 40. *Agnoscere se debet homo, ad quæ bona naturaliter sit promptior, vel ad quæ mala procliuior; quibus studijs debeat vehementius insistere, contra quæ mala debet instantius vigilare; quibus exercitijs valeat melius promoueri, quibus vitijs valeat faciliùs corrumpi; quibus culpis subiaceat, vel quibus meritis emineat, & quid pro his pœnæ vel præmij expectare debeat; quantum quotidie proficiat, vel deficiat; cum quanta industria animi, satagat præterita mala flere, præsentia declinare, futura præuenire; cum quanta animi constantia studeat reparare bona amissa, custodire & multiplicare possessa, &c.* en quàm copiosa materia, quam homo de seipso cognoscat. Concludo monito S. Basilij hom: 10. in examer: Cognitionem sui præcipuè dicere cognitionem animæ, & eorum quæ in illa sunt.

Secundum punctum. Ex his quæ dicta sunt de cognitione suiipsius, quid illa sit, apparet iã aliquo modo, valde difficilem esse vnicuiq; nostrûm, hanc cognitionem suiipsius, cùm tam

multa,

multa, varia, & occulta cognoſcere debeat. Difficultatem tamen hanc magis declarabunt ſequentia. Natura ita factum eſt, vt faciem alienam, & quidem facilè, noſtram verò minimè videamus, niſi accedat beneficium ſpeculi: in quo etiamſi eam viderimus, facilè eiuſdem poſt paululum obliuiſcimur: quo indicatur nobis, nos facile vitia, aut virtutes, mores, aut actiones aliorum cognoſcere; difficile verò noſtra: quod ſi verò hæc in nobis beneficio lucis, aut naturalis, aut ſupernaturalis, animaduerterimus, facilè poſt non multum temporis, eorūdem, maximè noſtræ vilitatis obliuiſci. *Sua quemq; latent vincula*, inquit S. Ephrem, Serm: de morbo linguæ, *& laqueos ſibi paratos ignorat, ebriorum inſtar, qui vino perfuſi, nec ſe vinciri ſentiunt, nec obiectos ſibi laqueos, præ ebrietate, vident.* Idem docet S. Baſil: in Conſt: monaſt: c. 23. *Illud enim firmiſſimè tenendum eſt*, inquit, *rem eſſe omnium difficillimam, ſeipſum cognoſcere & curare.* Rationē reddit, *quia naturaliter ſeipſum quiuq; amat*: hinc verò, id eſt ex hac difficultate, probat idem S. obediendum eſſe Superiori, vt ipſe nobis medeatur. *Nouit*, inquit, *qui modò intelligens moderator eſt, vniuscuiusq; mores & affectus, & animi motus diligenter exquirere, & ad hæc accommodatum etiam in ſingulis remediū adhibere. Quocirca nullo modo eſt eius ſtatutis aduerſandum, ſed illud firmiſſimè tenendum, rem omnium eſſe difficillimam ſeipſum cognoſcere, & curare; propterea quod naturaliter ſeipſum quiuq; amat, vt quilibet pro-*

pterea

pterea quod in seipsos propensi sunt, in virtutis iudicio falluntur, porrò ab alio cognosci, curariq; facile est, cum ijs qui cæteros iudicant, ad discernendam veritatem nequaquam obstet amor suiipsorum. Et Orat: de humilitate, sic idem ait: *Verissimum,* inquit, *illud est, nihil esse difficilius, quàm nosse seipsum. Non enim oculus tantum suo in semetipsum munere non fungitur, dum ea quæ extra sunt cernit, & lustrat, sed & mens nostra.* Legimus Gen: 2. Adamum, non sibi ipsi hoc nomen imposuisse, sed Deum; illum verò & vxori & cunctis animantibus, vt duo nobis indicarentur: primum quidem, neminem seipsum benè nosse, nisi ex singulari gratia Dei hoc ei concedatur: alterum verò, Superiorem omnium quos sub se habet, debere nomina nosse, & vnicuiq; officium, iuxta talentum & dotes cuiusq; imponere. Ricar: Victor: tra: 1. de exterm: mali, c. 13. enumerat plurimos modos, vel media, quæ etiam dicit esse innumera, quibus nos Deus inducit ad cognitionem nostri; videlicet tribulationes, tentationes, beneficia, & alia id genus, quod sine dubio non faceret ille, si non difficilè esset homini hanc suiipsius notitiam habere. eandem difficultatem indicat S. August: in Ps: 118. *Multi,* inquit, *nec seipsos nouerunt, quia & hoc ipsum quemadmodum homo sibi debet innotescere, non omnium hominum est. Quomodo ergò diligit proximum tanquam seipsum, qui non noscit & seipsum?* Sed idem quoque, quod magis mirandum est, docent & Philosophi Ethnici. Au-

sonius in ludo 7. Sapientum. Thales, *Difficile est*, ait, *noscere seipsum*. Aristoteles similiter lib: 2. mag: mor: *Difficillimum*, inquit, *est seipsum cognoscere, sed simul suauissimum; quilibet amore sui præpeditur, ne rectè de se iudicet.* Deniq; Chilo Spartanus, rationem huius difficultatis adfert. *Facit*, inquit, *philautia, vti in nostrimet vultus speculo, nos ipsos satis clarè & rectè nequeamus cognoscere.* Rectè profectò, nam proprius amor est veluti nubes tetra, & caliginosa, inter oculos mentis nostræ, & nos ipsos posita, quæ hanc salutarem notitiam impedit. Difficilis igitur est hæc scientia, non solùm ex se, vt iam vidimus, sed etiam ob impedimenta, quæ habet: & hoc sit

Tertium punctum; quæ impedimenta multa sunt, videlicet tumultus rerum externarum, & multitudo occupationum, necessitatum ac cupiditatum, quæ omnia perstrepunt, ne mens nostra huic doctrinæ acquirendæ attendat. Itē ea quæ nos circumdant & ornant, scientiæ videlicet, diuitiæ ac dignitates, hæc namq; contegunt miseriam humanam, ne suam vilitatem aduertat. Præterea Amor proprius vt vidimus, Superbia, quæ cùm sit similis fumo & tenebris, obtenebrat lumen mentis nostræ, ne seipsum homo possit bene cognoscere: deniq; Curiositas, quæ hominem distrahit, vt alienis negotijs & moribus inuestigandis occupatus, proprijs non attendat. Eadem curiositas propria scelera tegit, vt ait S. Greg: Hom: 36. in Euang. Mul-

ta igitur

ta igitur sunt, quæ reddunt difficilem hanc disciplinam cognitionis propriæ, ideoq; à paucis obtinetur; quod indicauit S. Chrysost: Hom: 32. in Acta Apost. Quærit enim: *Et quis*, inquit, *ignorat se, suamq; naturam, ex cuius ignoratione superbiam oriri certum est?* Respondet: *Multi, & fortaßis omnes, paucißimis exceptis.*

Sed necessaria est, & dignissima, ac vtilissima hæc cognitio, quæ 4. loco, 5. & 6. ostendenda suscepimus. Dignitatem illius & vtilitatem, simul ostendunt SS. Patres; S. Maxim: Serm: 56. sic ait: *Summa & vtilißima hominibus sapientia, noscere seipsos.* S. Chrysost: l. c. *Si sciuerimus nos, multa lucra faciemus.* S. Greg: Niss: Orat: 2. in Cat: *Longè vtilior est tui corporis ista cognitio, quàm externorum bonorum possessio.* S. August: de spiritu & anima, c. 20. *Cùm nulla scientia melior sit illa, qua cognoscit homo seipsum, discutiamus cogitationes, locutiones, atq; opera nostra. Quid enim prodest nobis, si rerum omnium naturas subtiliter inuestigemus, efficaciter comprehendamus, & nosmetipsos nō intelligamus?* Et 4. de Trinit: in Proæm: præfert notitiam suiipsius vtilitate, omnibus alijs scientijs: *Scientiam*, inquit, *terrestrium cœlestiumq; rerum, magni æstimare solet genus humanum; in quo profectò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt:* Nosse *semetipsos, laudabilior est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quàm qui eâ non respectâ vias syderum scrutatur, etiam cogniturus, aut qui iam cognitas habet, ignorans ipse qua via gradiatur ad salutem, ac firmitatem suam.* Prosequi-

tur verò in longum recensendo, quas vtilitates adferat hæc scientia nobis: nimirum quia homo eius studio sibi vilescit; quia infirmitates suas interiores agnoscit; quia ad Orat: mouetur; quia contra superbiam accenditur, & ad humilitatẽ permouetur: deniq; quia patriæ cælestis desiderio flagrat. S. Bern: 2. de consid: c. 3. sic habet: *Noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Non ergo sapiens, qui sibi non sapiens.* Idem in Cant: Ser: 36. vbi alios fructus huius scientiæ persequitur: *Talis scientia non inflat, sed humiliat: nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratã peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes.* Ex hac verò notitia orietur hic alius fructus: *Conuertetur,* inquit, *ad Deum talis anima, & clamabit ad eum: Sana animam meam, quia peccaui tibi. Porrò conuersa ad Dominum, recipiet consolationem, quia Pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Concludit tandem, cognitionem sui esse gradum ad notitiam Dei, de quo infra. Hugo de S. Victor: l. 1. de anim: c. 9. sic commendat hoc studium: *Melior es si teipsum cognoscas, quàm si*

te neglecto

te neglecto cursus syderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cælestium omnium & terrestrium scientiam habeas. Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt, cùm tamen summa Philosophia sit, sui ipsius cognitio. Sed & gentiles Philosophi agnouerunt dignitatem & vtilitatem huius scientiæ, ac fructus qui ex illa oriuntur. Plato in amatoribus dixit: Nosse seipsum, esse absolutè sapere: ab eo omnem vitæ sapientiam, iustitiamq; pendere. Quapropter in Alcibiade priori scripsit; Nec prudentem, nec bonum, nec fælicem esse posse, qui seipsum non probè norit. In Charmide verò addit: Neminem posse esse temperatem, sine sui notitia. Deniq; propterea in Philebo docuit: Ignorantiam sui, esse genus improbitatis vniuersæ. Xenophon etiam in lib: de factis & dictis Socratis, sic scribit: *Homines propter cognitionem sui, possunt esse authores multorum bonorum, sibi & alijs: contra verò multorum malorum, ob sui ignorantiam; huiusmodi verò neq; ad regimen sui, neq; ad familiæ, aut Reipublicæ gubernationem sunt idonei.* Necessitatem autem huius scientiæ, præter hæc quæ iam audiuimus, clarè indicat Ricar: Victor: 3. de Contempl: c. 6. cùm dicit: *Nihil rectè æstimat is qui seipsum ignorat.* S. etiam Bern: Serm: 37. in Cant: vbi asserit: Neminem, qui ratione iam matura præditus sit, sine cognitione sui saluari posse: rationemq; reddit, quia de cognitione sui, mater salutis humilitas nascitur, & timor Domini; qui sicut est initium sa-

pientiæ, sic etiam initium est salutis. Sed est & altera causa huius rei, nam sine notitia sui, non potest homo habere notitiam peccatorum suorum, & deformitatis illorum, ac proinde nec resurgere ab illis, quod ad salutem requiritur. Multi tamen peccatores, ideò hanc notitiam suipsius habere nolunt, ne huiusmodi deformitatem suam videre cogantur: similes in hoc Elephanti, qui etiam non vult aquam inspicere, ne horribilem suiipsius effigiem intueri cogatur. Idem quoq; S. Bern: lib: de consider: ad Eugen: c.7. explicat plures fructus huius scientiæ: *Primùm*, inquit, *ipsum suum fontem, id est, mentem, de qua oritur consideratio, purificat; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat; postremò, diuinarum pariter ac humanarum rerum, scientiam confert.* S. Anton: Magnus, ep: 6. ad suos Monachos, scribēs de necessitate huius cognitionis, dicebat: *Quicunq; cognouerit semetipsum, cognoscet dispensationem proprij conditoris, vel quæcunq; facit in proprijs creaturis.* Item: *Scio, quòd quicunq; cognouerit seipsum, agnoscet & Deum.* Eadem docet Hugo Victor: in instit: monast: lib: 3. de anima, c. 6. *Frustra,* inquit, *cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad vidēdum semetipsum; prius enim est, vt inuisibilia spiritus tui cognoscas, quam possis esse idoneus ad cognoscendum inuisibilia Dei: & si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea quæ sunt supra te.* Præcipuum speculum ac principale ad

videndum

videndum Deum, dicitur à quibusdam, animus rationalis intuens seipsum. *Principium inuisibilis sapientiæ*, inquit Philo de somnijs, *est non obliuisci suipsius*. Et S. Bern: Serm: 36 in Cant: *Gradus*, inquit, *ad notitiam Dei, est cognitio sui, & ex imagine sua, quæ in te renouabitur, ipse videbitur*. Serm: verò 6. de diuersis sic ait: *Vt homo fructuosè consideret Deum, prius consideret seipsum quid sit. Obsecro vos*, inquit, *fratres, per misericordiam, pro qua tam miserabiles vos facere studuistis, facite ad quod venistis*, scilicet ad Religionem, *ad quod ascendistis de fluminibus Babylonis. Super flumina Babylonis*, ait Proph: Ps: 136. *illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Nulla hîc vobis nutriendorum liberorum cura, nulla sollicitudo quomodo placeatis vxoribus, non de nundinis, non de negotijs secularibus, non de ipso victu & vestitu necesse est cogitare: procul à vobis, magna quidem ex parte diei malitia, & sollicitudo vitæ; sic abscondit vos Deus in abscondito tabernaculi sui. Vacate itaq; dilectissimi, & videte, quoniam ipse est Deus. Verùm vt hoc quandoq; possitis, curandum est vobis priùs, vt videatis quid estis vos; & iuxta eiusdem Prophetæ vocem, Psal: 9. *Sciant gentes, quoniam homines sunt.* Huic duplici considerationi, tota hæc vestra vocatio tribuatur, sicut Sanctus ille orabat: *Deus nouerim me, nouerim te.* Verùm notitiam sui, esse causam notitiæ Dei, docetur communiter ab omnibus SS. Patribus: à Clemente Alex. S. Basilio, & alijs. Et me-

rito: Nam imago rei, quam repræsentat, cognitionem infert, & causa per effectum suum patet, & fluuius ad fontem ducit. Homo autem est imago Dei, effectus eiusdem, & fluuius ab eo tanquam fonte emanans. Denique Christus etiam Dominus, dignatus est necessitatem huius scientiæ explicare nobis: Nam antequam sese familiariùs cōmunicaret S. Catharinæ Senen: vti testatur Raymundus in vita ipsius, quæ extat apud Surium mense Aprili, ipso diuinarũ visionum initio apparens ei dixit: *Si nosti filia quis ego sum, & quæ tu es, beata eris; Ego sum qui sum, tu es quæ non es: hac cognitione freta, omnes facilè conteres laqueos inimici, nunquam venies contra præcepta mea, omnemq; gratiam & veritatem nullo negotio obtinebis.* Necessariam quoq; esse hanc sui notitiam ad amandum Deum, ad timendum, ad habendum semper præsentem in mente, ad pellendam superbiam, seu elationem animi, ad humilitatẽ acquirendã; deniq; ad ipsam perfectionẽ assequendam, docent SS. PP. vti iam vidimus. Addo S. Gregorium, qui lib: 32. mor: c. 2. dicit: *Quantò quisq; minùs se videt, tantò sibi minùs displicet; & quantò maioris gratiæ lumen percipit, tantò ampliùs reprehensibilem se esse cognoscit.* Deniq; S. Bernar: qui lib: 2. de consid: ad Eugen: Papam dicit: Cognitionem sui esse dispositionem ad habendam semper præsentiam Dei in mente, ideòque ab ea inchoandum: *A te,* inquit, *tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto: nam*

licet

licet noueris omnia mysteria, noueris latitudinem terræ, altitudinem cœli, profunda maris, si te nesciueris, eris similis ædificanti sine fundamento, qui laborat circa structuram quæ cito corruet: quidquid struxeris extra te, erit, instar congesti pulueris, ventis obnoxium. Et hæc est causa, cur Sanctissimi viri diligenter se semper exercuerint in hac scientia, nimirùm cognitione suiipsius. Admirabile huius rei exemplũ habemus in S. Bernardo, qui nomine tepidi Religiosi se accusans, plurima de seipso dicit, de interiori domo, cap: 35. ab illis verbis: *Deo igitur iubente ad cor meum rediÿ, & inde exclusis omnibus, præter Deum, & meipsum, totam vitam meam discußi, tantò diligentiùs, quantò familiariùs; & vt verum fatear, nihil aliud inueni, nisi locum horroris, & vastæ solitudinis.* Concludo totum hoc de necessitate, dignitate, & vtilitate huius scientiæ, nimirum cognitionis propriæ, verbis B. Laur: Iustinia: de Humilitate, c. 2. in fine: *Claret igitur ex his, quàm operatoria, quamq; ad salutem sit necessaria sui cognitio, quæ præstat lumen ad cognoscenda huius peregrinationis pericula, & spirituales mundi huius laqueos calcandos, quos proculdubio percipere ac ignorare conuincitur, qui ignorat se. Quare beatum esse dixerim, qui de se, non qualemcunq;, sed veram cognitionem habere meruerit.* quæ vltima verba S. indicant, cognitionem suiipsins esse donum Dei, imò & Deum primum fuisse authorem nobis huius notitiæ seu moniti; quod vtrumq; septimo & octauo loco ostendendum suscepi.

Sanctus Bonauen: tr: de 7. donis, dono 6. c. 1. Notitiam sui, adscribit 2. dono Spiritus Sancti, nimirum dono intellectus; quod facit nos penetrare vel minima, & rimari tenebras. Donum quoq; esse Dei, hãc notitiam suiipsius, indicat ex vna parte maxima necessitas illius, cùm sine ipsa virtus & perfectio haberi non possit, vt vidimus: ex alia vero parte, magna difficultas eiusdem, vt à paucis obtineatur, & non proprijs viribus, ac proinde à Deo postulanda est, & magnâ contentione cordis, & assiduè postulanda; quod faciebat S. Aug: vt habemus c. 1. Soliloq: sæpiùs his verbis ad Deum repetitis: *Nouerim me Domine, nouerim te.* Gentiles non consentiunt, quis primus author fuit huius sententiæ; *Nosce te ipsum*: Plurimi dicunt eam esse vnius ex septem Sapientibus. Apud Stobæum quidam tribuunt Bianti: Chameleon lib: de Dijs: Thaleti: Ausonius in conuiuio septem Sapientum, vno loco adscribit Soloni, altero Chiloni. Alij Apollini Pythio, vt refert S. Ambr: in Psal: 118. serm: 2. Aristoteles verò censuit diu ante 7. Sapientum ætatem, versum illum Delphico templo insculptum fuisse. Sed certissimum est, Deum primum authorem esse huius scientiæ; & quanquam hæc sententia: *Nosce te ipsum.* Expressè totidem verbis non extet in S. Script: extat tamen implicitè, vel alijs æquiualentibus. Docet hoc S. Bonau: l. c. vbi sic habet: *Spiritus Dei ipse est, qui primus hanc Sen-*

tentiam protulit: Nosce te ipsum. Licet enim Sapientes huius sæculi, Sacrorum librorum ignari, dictum hoc celebre atq; mirabile, Apollini aut Pythagoræ, aut alijs ex Sapientibus antiquis tribuerint; certum tamen sit illud à Spiritu S. fuisse prolatum. Idem non solùm docet, sed & probat S. Ambr: l. c. aitq; hanc Sententiam Deuter: 4. iuxta versionem Septuag: illis verbis. *Attende ergò tibi*: in nostra est, *Custodi ergo teipsum*, expressam esse à Moyse, qui lōgè antiquior fuit Philosophis, & septē Sapientibus. Deniq; Orig: hom: 2. in Cant: qui fuit ante S. Ambr: affirmat hanc sententiam à Salomone, qui præcessit tempore & sapientiâ, ac rerum scientiâ, omnes illos Philosophos ac Sapientes, scriptam fuisse in Cant: c. 1. Spiritu S. dictante, & ad animam, quasi ad mulierem, sub comminatione quadam dictam: *Nisi cognoueris te ipsam, ô pulcherrima mulierum, egredere & abi*, scilicet à me, & à domo mea.

Media autem, (quod est nonum punctum) quibus comparatur hæc tàm salutaris notitia sui: Primum est Oratio, qua postulare debemus eam à Deo, cùm ipsius sit donum; quod faciebat S. August: vti vid: præced: puncto. Maximè verò rogare debemus, vt delicta nostra & imperfectiones noscamus, quod faciebat S. Iob, cùm dicebat c. 13. *Quantas habeo iniquitates & peccata: scelera mea & delicta ostende mihi.* Secundum est, frequens ac diligens examen suæ cōscientiæ, & consideratio seu inspectio diligens suiipsius.

præscri-

præſcribit hoc S. Aug: lib: de Spiritu & anima c. 52. *Neceſſe eſt* inquit, *vt per ſingulos dies vitam noſtram ad iudicium vocemus, & quid egimus per noctem & diem, examinemus; & quanto ad bona facienda ſolito alacriores fuerimus, & quanto ad mala vincenda ſolito conſtantiores: an aliquo opere noſtro inſidijs inimici ſupplantati fuerimus, & demum quomodo futuram illius fraudem cauere valeamus.* Tertium medium eſt, humiliatio ſuiipſius, & de ſeipſo ſemper humiliter ſentire. Docet hoc S. Bern: ſerm 37. in Cant: *Non eſt,* inquit, *periculum, quantumcunq; te humiliaueris, quantumcunq; reputes minorem quàm ſis,* hoc eſt quàm ſe veritas habeat: *eſt autem grãde malum, horrendumq; periculum, ſi vel modicè plus vero te extollas, ſi vel vni,* videlicet in tua cogitatione, *te præferas;* quem fortè parem tibi veritas indicat, aut etiam ſuperiorem. & probat ſimilitud: oſtij alicuius demiſſi, per quod cùm ingrederis, ſi te nimium inclinas, caput non lædis. Quartũ eſt, inſpectio & conſideratio diligẽs ac attenta virorum perfectorum ac ſpiritualium: vel eorum qui non ſegniter, in via ſpirituali & perfectionis, ambulant. Hinc enim cognoſcemus, an ſimus illis ſimiles, vel diſſimiles. Quintum medium eſt lectio accurrata librorum, in quibus agitur vel de cognitione ſui, ad quod ſeruire poteſt, S. Bern: de interiori domo, vel de virtutibus vitijs ac moribus animæ, & deniq; de perfectione: quales libri ſunt, libellus Galeni de curandis morbis animi, Iacobi Aluar: tom: 2.

Rosignolij & Crombecij de perfect. & P. Claudij, Industriæ pro Superioribus. Sextum & vltimum medium: Adhibendus aliquis prudens, & fidelis amicus, vel frater, vt docet Galen: l. c. qui nos consideret, obseruet in omnibus, & moneat: credendum verò est ei, maximè Superiori, ipsiusq; admonitio cum gratiarum actione, & desiderio emendationis, accipienda.

Videamus iam pænam eorum qui seipsos ignorant, quod 10. sit punctum. Non vna sed multiplex pæna comitatur ignorantiam sui, seu se ignorantes. Prima est; efficiuntur huiusmodi similes iumentis, id est stolidi. Et hoc est, quod dixit Propheta, Psal: 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit*, scilicet seipsum, & ideò *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus illis.* Et si homo, teste Apostolo, quia non percipit ea quæ Dei sunt, est animalis; profectò potiori iure erit animal, quia non percipit ea, quæ hominis sunt, id est, seipsum non cognoscit. Secunda; sunt varia peccata, in quæ incidunt necessariò, ignorantes seipsos: talia sunt, superbia inprimis. Præclarè dixit Philo, loco citat: *Non alio modo vitium hoc inprimis exosum Deo, potest elui, quàm per cognitionem suiipsius.* Quærit S. Chrysost: ho: 32. vnde est superbia? Respondet: ex eo quod non spectamus quæ nostra sunt. Præterea curiositas. Quod enim curiosiùs nos alienis negotijs miscemus, ideò maximè contingit, quia nostræ cognitioni non sa-

tis vacamus. Propterea dixit S. Bernar: ser: de grad: superbiæ: *Si te vigilanter homo attendis, mirum est si ad aliud vnquam intendas.* Item contemptus Dei, ex ignoratione scilicet ipsius, quæ cõsequitur ignorationem nostrimet, vt vidimus. Ex contemptu verò Dei, oritur salutis nostræ negligentia, ex hac deniq; vniuersæ malitiæ consummatio, quæ est desperatio, & hæc proximum inferno præcipitium. Ita Sanctus Bernardus Serm: de obedien: patientia & sapientia. & Serm: 38. in Cant. Tertia pœna; ignorantes seipsos, abijciuntur à Deo. Hoc fortassis indicat illud Apost: 1. Cor: 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*: quo pacto dicitur virginibus fatuis, Matth: 25. *Nescio vos.* Indicat hoc ipsum & illud dictum à Christo Sponsæ, Cant: 1. vt testatur S. Bern: Ser: 25. *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos. Dura profectò,* inquit S. Bern: *& aspera increpatio, quod dicit; Egredere, & abi. Hoc quippè verbum, serui vel ancillæ audire solent à valde irascentibus, & indignantibus dominis, cùm grauiter illos offenderint. Exi hinc, exi à me, egredere à conspectu meo, & à domo ista. Considerandum est,* inquit Sanctus, *vnde & quo egredi iubeatur, id est, de spiritu ad carnem; de bonis animi, ad sæcularia desideria; de interna mentis requie, ad mundi strepitum, & inquietudinem curarum exteriorum.* Hæc ille. Metuenda profectò est huiusmodi increpatio Dei, nihil hac missione ignominiosius, nihil hac comminatione formidabi-

lius, nihil hac condemnatione perniciosius. Sola tamen ignoratio sui hoc fulmen Deo extorquet, quod vehementer nos perterrere & ferire deberet. Intelligebat benè vim illius, primus ille homicida occisor fratris Cain, idcòque tali missione percussus flebiliter queritabatur corā Deo, Genes: 4. *Ecce eijcis me hodie*; id est, à protectione tua, à gubernatione, à gratia tua; & consequenter, à regno tuo cæleſti, à visione tui, & consortio beatorum. Eiectus verò sic à Deo in hac vita, omninò abibit post vestigia gregū suorum; id est, sequetur cupiditates & passiones suas effrænatas ac bestiales; quæ Quarta pœna est: & tandem quæ est Quinta, pascet hædos suos, id est, totum se in hoc effundet, vt ijsdem bestialibus passionibus morem gerat, & satis faciat. O infelicem statum hominum ignorantium seipsos!

Ex his clarè iam constat, id quod initio asserueramus, nimirum vnicuiq; ad perfectionem contendenti, necessariam esse suiipsius cognitionem, quod breuiter colligo. Perfectio enim, vt vidimus, acquiri non potest à nobis sine prævia mortificatione cupiditatis nostræ, & passionum: præterea non habetur illa sine abnegatione propriæ voluntatis & iudicij, neq; sine extirpatione vitiorum, item sine acquisitione virtutum: peccata etiam mortalia tolli & caueri debent, imò & venialia; hæc autem omnia præstari non possunt sine cognitione suiipsius, vt

per se

per se clarum est. Habenda igitur nobis est cura propriæ cognitionis, nec ea vnquã abijciẽda.

CAPVT XLI.

De modo & ratione acquirendi virtutes, & alijs quibusdam rebus attinentibus ad easdem, idq; in ordine ad assequendam Perfectionem.

NOmine virtutis intelligitur habitus, inclinans nos ad honestum: seu vt definit Philosophus, 2. Eth: c. 6. *affectio permanens in homine, quæ habentem facit bonum*; & opus eius reddit bonum, nam disponit hominem ad optimũ actum. Comprehendimus autem numero virtutum, tam Theologias tres; Fidem, Spem, & Charitatem, quæ immediatè versantur circa Deum, tanquam circa obiectũ formale: quàm Morales; Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinẽ, Temperantiam, & Religionem: ac deniq; reliquas omnes quæ his annexæ sunt; scilicet Paupertatem, Castitatem, Obedientiam, Modestiam, Patientiam, &c. Et quia vniuersæ virtutes, ex Sententia SS. Patrum, Theologorum, & Magistrorum spiritualium, vt vidimus supra, sunt media, organa, seu instrumenta, & quidem necessaria ad acquirendam perfectionem; quod etiam colligitur ex ipsa definitione illius, in qua includitur acquisitio omnium virtutum; ideò de via, modo, ac ratione acquirendi virtu-

tes, & de

tes, & de alijs rebus attinẽtibus ad hoc, dicam nonnulla in communi; nam in particulari de his agere, sicut & de omnibus virtutibus fusè tractare, & earum singularum naturas & actiones explicare, neq; necessarium est ad præsentem tractationẽ perfectionis in communi, quã nos instituimus: nec possibile, quia non solum est immensi laboris, sed & temporis; plures enim anni ad hanc tractationem requirerentur. Videri tamen hæc possunt apud alios, qui satis fusè de hac materia scripserunt. S. Th: 1. 2. & 2. 2. Peraldus de virtutibus, Alb: Mag: in Paradiso animæ; Suar: Vasq: & Salas, super S. Tho: l. c. Aluar: tom: 2. & 3. Rosign: de perfect: Religiosa, & alij; apud quos etiam laudes virtutis inuenientur. Nobis sufficiat illa, quæ ex varijs SS. Patribus, maximè ex S. Bern: Serm: 85. in Cant. & S. Aug: lib: 2. de lib: arbitr: c. 18. & 19. colligitur. Virtus est supplementum naturæ, ornamentum mentis, facilitas boni operis, qua benè sanctèq; viuimus, qua veris malis, scilicet peccatis, resistimus, qua meritis cumulamur, qua vitam æternam promeremur; & Christi imagines, ac Dei imitatores efficimur. Iam igitur accedamus ad rẽ propositam.

Certum est, & apud nullos ferè eget probatione, nos sicut nudos & inermes nasci in corpore, ita & nudos in anima, absq; videlicet omni arte & virtute. Et sicut natura dedit homini manus vt corpus vestiat, armet, & se de-

tendat; ita eidem largitam esse rationem & ingenium, vt animam ornet scientijs & virtutibus. Comparare igitur debet sibi homo virtutes, ratione adiutrice; quod antequā faciat, priùs cognitionem habere debet, saltem aliquam, naturæ aut substantiæ illarum, item proprietatū, actionum propriarum, deniq; honestatis obiectiuæ, circa quam versantur: sine cognitione enim harum rerum, virtus acquisita saltem, haberi non potest, cùm cognitio hæc sit ianua ad amorem, æstimationem, & desiderium cuiuscunq; rei possidendæ, quia nihil à voluntate desideratur, aut diligitur, nisi cognoscatur. Hoc posito, videamus instrumenta in genere præcipua virtutum, seu adminicula præcipua ad habitus virtutum inserendos.

Primum est, meditatio aliqua feruens illius virtutis, quam cupimus assequi, quæ non semel est instituenda & præmittenda, in qua etiam lumen à Deo petendum ad praxim exercendam: quantum verò meditatio ad hoc conferat, videb: c. 50. & mox.

Secundum est, æstimatio eiusdem virtutis, seu appreciatio: quæ res etiam multum confert ad acquirendam virtutem. Æstimatur verò res à nobis cognita, si agnoscatur necessitas illius, præstantia, vtilitas, pulchritudo; & denique quod magni sit meriti, seruiunt autem ad æstimationem incitamenta iam recensita, maximè si in meditatione attentè expendantur: quæ o-

mnia, necessitas videlicet, & alia, nonnisi magna sunt, in vnaquaq; virtute, vt per se patet.

Tertium est, Oratio, vt est postulatio eiusdem virtutis à Deo; omnis enim virtus à Deo est vt authore, & eo datore à nobis possidetur, & deniq; eodem adiutore seruatur. Quinimò ipsa voluntas nostra, scilicet vt velimus virtutem, sicut decet, à Deo est. *Nostrum est velle*, inquit S. Aug: lib: de bono viduit: c. 16. id est, nos volumus, & liberè in bonum consentimus, *sed voluntas ipsa, & admonetur vt surgat, & sanatur vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat.* Hæc ille. Et S. Ambr: super Psal: 118. *Non est potestatis nostræ desiderare, sed gratiæ Dei.* Deniq; Dominus est, qui & occasiones administrat studiosè agendi, & virtutes comparandi, sine quibus etiamsi adsit bona voluntas, haud quaquam virtutibus studebimus.

Quartum est, magnum & accensum desiderium; vt enim virtutem quis acquirat, magnæ ei & multæ difficultates superandæ sunt, quibus ne terreatur, & à proposito recedat, desiderium accensum virtutis est necessariũ, quod eum alacrem & fortem reddat. *Nihil enim est*, vt pulchrè ait S. Chrysost: hom: 64. ad pop: Antioch: *quod non superet amor cum desiderio.* Hoc item magnum & efficax desiderium, reddet nos & pro virtute anxios, & ad eam inquirendam assiduè sollicitos.

Quintum & præcipuum instrumentum,

est exercitatio, exercitium, seu actio virtutis, vt scilicet fiant actiones propriæ illius virtutis, tàm internæ, quàm externæ, quibus illa acquiritur, vel sine quibus non habetur; v. g. qui vult humilitatem acquirere, humiliatio illi etiam exterior est necessaria: v. g. vt loquatur de se demissè, de alijs honorificè; in colloquio familiari iudicium suum posthabeat alieno, primas partes alijs libenter deferat ex animo; officia humiliora quærat, &c. Plurimùm enim etiam externi actus iuuant internam culturam, vt explicat pulchrà similitudine agriculturæ & arboris S. Aug: lib: 8. in Gen: c. 9. Oblata igitur occasione virtutis, quam cupimus acquirere, vel augere, trahenda est vel inuita natura, velut recalcitrans equus àd actionem illius virtutis, aliter enim non acquiretur. Et hæc est causa, cur in aliquibus, vel nullæ, vel exiguæ sunt virtutes; defectus scilicet, non cognitionis illarum aut desiderij, sed exercitationis, quia scilicet actibus virtutum non insistunt. Audiamus in hac re sententiam SS. Patrum: S. Ansel: lib: de similit: c. 16. sic ait: *Quippè sicut corpus humanum, sine frequenti ciborum vsu, nequit sistere: sic anima absq; virtutum frequentatione, non potest viuere: qui ergo ad affectum bonitatis venire desiderat, necesse est, vt cum scientia & voluntate, etiam ipsum vsum habeat.* Dorotheus etiam doctr: 8. probat idem similitudine ducta ex artibus in actione consistentibus, quæ non solà aridà notitià, nec solo

desiderio, sed exercitatione discuntur: & quo quis diligẽtiùs & perfectiùs artis actiones exercet, eo etiam peritior euadet: *Quis enim hominũ*, inquit ille, *volens disciplinam vnam aut artem imbibere, illam solo sermone consequatur? Facere vtiq; primum, perseuerat omni studio, diligentia; deinde iterum facit, atq; ita pedetentim labore multo, artem ipsam & disciplinam apprehendit. Nos verò artem artium solo sermone credamus apprehendere, absq; opere? hocne quicquam licebit.* Aliam similitudinem adfert S. Ansel: l. c.153 *Vt si quis citharista esse debuerit, citharam non cognouit, qualiter citharædus erit? Si etiam instrumentum illud non agnouerit, & si agnouerit, sed tangere illud noluerit, qualiter citharædus erit? Si autem illud agnouerit, & tetigerit, sed eius vsum habere contempserit, nunquam propter cognitionem & voluntatem, sine vsu huius artis, peritus erit. Taliter namq; licet quis habeat scientiam bene viuendi, & voluntatem, nequaquam bonus erit, nisi etiam boni operis vsum tenuerit, iuxta suam poßibilitatem.* S. Bernar: verò sic habet: *Aliud est multas diuitias scire, aliud poßidere: nec notitia diuitem facit, sed poßeßio; sic hominem iustũ non facit notitia, sed poßeßio iustitiæ.* S. Basil: reg: breu: ad interrogat: 198. postquam docuit viam, ad humilitatem, esse humilitatis actus, subdidit: *Vix enim hoc modo, per aßiduam meditationem, ad habitum humilitatis poterit peruenire, vt in artibus fieri consueuit:* Porrò idem modus assequendi, nihilominus etiam est in quacunq; alia virtute. Deniq; S. Ambr: lib: 1. de Cain, c. 4. *Sicut bellator*

sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus: nam hæc est quæ pro armis illi est, & sine exercitatione, sicut miles inermis, à vitijs deiecta & dissipata succumbet. Ideóq; sæpè in Script: Sacris ad virtutum actiones monemur, quia & studiosæ actiones, virtutes nondum quæsitas generant, & genitas in suo splendore & virore conseruant. Accedentem, inquit, ad Deum, oportet credere, Hebr: 11. &, Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo; Prou: 3. &, Diliges Dominum Deum tuum; Matth: 22. &, Ambulate per vias prudentiæ; Prou: 9. &, facite iudicium & iustitiam, & liberate oppressum de manu calumniatoris; Ierem: 22. &, viriliter agite, & confortetur cor vestrum; Psal: 30. Deniq; sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, Rom: 13. Hæc enim virtutum exercitationem sonant &c. Magis tamen frequentandi sunt actus interni virtutis, tanquam magis necessarij, & à quibus magis pendet virtus: & denique qui quasi semper exerceri possunt. Opera enim externa, cùm circa visibilem materiam versentur, & ab aliqua conditione dependeant, non possunt quocunque tempore effici Et propterea Sanctus Gregorius ait: *Quisquis exteriora sua bene disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed non intus*: quia videlicet virtus magis sita in actionibus internis. Et B. Laur: Iustin: volens ostendere modicam fieri accessionem virtuti, cùm sola tantùm opera externa exercentur; sic ait de discipl: & perfect: c. 6. *Parum operatur, quamuis*

agit multa, qui non amplius agit affectu, id est interioribus actibus, *quàm actu*.

Notanda nihilominùs sunt circa hoc exercitium virtutis. Primum, exercendam esse virtutem ob proprium ac germanum finem, siue honestatem obiectiuam, illius virtutis quam cupimus. Et hoc solet vocari intentio actualis bona, seu recta; sicut contraria intentio mala, sinistra, obliqua, tortuosa, & præpostera, quãdo scilicet actio virtutis, non fit à nobis ob finem honestum, sed vel ob finem malum, vel ob commodum tantùm nostrum, aut inanem gloriam. Intentionem definit S. August: lib: de ser: Domini in monte, c. 21. Esse id qua facimus, quicquid facimus; quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens, quod aspiciendum est, omnia opera nostra necesse est bona sint. Est verò secundùm S. Bernard: ser: 20 in Cant: intentio hæc, actus voluntatis, seu motus aut motio circa finem propriè, id est, circa bonum honestum, vt honestum, seu est appetitus honesti tanquam finis. Qui actiones virtutum sine vlla intentione recta agunt (sunt enim qui nihil ex prouidentia, seu animi designatione faciunt, nisi quod temerè occurrit) quatuor mala necessariò incurrunt. Primum, virtutes, id est, habitus virtutum, nequaquam acquirunt, ac proinde frustra laborant, nam hi habitus nonnisi actionibus, quæ verè virtutes actuales sint, habentur; vt vidimus paulò ante, & docent Phi-

 losophi

losophi, ac Theologi. Secundum, non faciunt etiam actiones tales, quæ sint verè actiones virtutis; nam forma seu substantia, nobilitas & dignitas huiusmodi actionis pendet ex recta intentione, vt docent ijdem. Sufficiat testimonium Aristotelis, & Senecæ: illius, ex 2. Ethic: c. 4. vbi sic ait: *Vt opus fiat alicuius virtutis, v. g. iustitiæ, necesse est, vt fiat à sciente, seu cognoscente, quid faciat, & propter ipsam honestatem iustitiæ; alioqui faciet iustum, sed non iustè.* Huius verò ex Moral: *Non in facto virtus est,* inquit ille, *sed in eo quemadmodum fiat.* Adde valorem etiam, mercedem, ac pretiū vniuscuiusq; virtutis pendere ab eadem recta ratione; vnde quod dicitur:

Et genus, & formam, regina pecunia donat;

id de intentione quoq; recta dicendum est:

Et genus, & formam, regina intentio donat.

Et propterea, quia bona intentio necessaria est ad bonitatem actus, & ad eius excellentiam & valorem, suadet S. Greg: l. 1. Mor: c. 20. vigilandam esse, & inprimis initijs boni operis, & in progressu, & deniq; in fine. *Bona nostra tribus,* inquit, *modis antiquus hostis insequitur,* hoc est, impugnat, *vt videlicet hoc quod rectum coram hominibus agitur, in interni iudicis conspectu vitietur: aliquando namq; in bono opere intentionem polluit, vt omne quod in actione sequitur, eo purum mundumq; non exeat, quo hoc ab origine perturbat.* Verissimùm est sathanam insidiari bonæ actioni, vt saltem intentionem rectam deprauet, ac propterea fortasse dixit

Hierem:1. Thren:1. *Facti sunt hostes eius in capite*;
quia satagunt corrumpere intẽtionem, quæ ca-
put est, & principium operis. Hinc etiam quia
scilicet bonitatẽ, & nobilitatẽ naturalẽ & mora
lem dat intẽtio bona, operi interiori, (sicut ma-
la malã moralẽ, & nulla nullã) varijs illa titulis
nuncupatur, seu varijs rebus assimilatur, potissi-
mum autem quatuor. Appellatur enim primò,
vita boni operis humani, sicut sinistra intentio
mors huiusmodi operis. Audiamus de hac re
Richar: Vict: de statu interioris hominis, cap:7.
Quod autem est, inquit, *corpus sine vita, hoc est opus sine
intentione bona*. Quælibet ergo actio, quãuis bona
videatur, quasi mortua iudicatur, nisi per con-
siliũ ad bonam intentionẽ animetur. Confirmat
hoc sapienter S. Bernar: Ser: 40. in Cant: dicens,
duas spõsæ genas, quæ de pulchritudine à Chri-
sto sponso laudantur, esse rem & causam; no-
mine rei, substantiam operis, & nomine causæ
finem siue intentionem intelligens. *Ex his sanè
duobus*, inquit, *animæ vel deformitas iudicatur, vel pul.
chritudo*; anima enim quæ ambo ista recta atq;
pulchra habuerit, meritò illi dicetur: *Pulchræ
sunt genæ tuæ sicut turturis*. Cant: 1. quæ verò alte-
rum horum rectum non habuerit, non poterit
id dici de ea. Multò autem minùs id ei conue-
niet, quæ neutrum horum habere inue-
nitur. Verùm in fine vitæ euidenter apparebit,
quænam opera nostra sunt vera, & quæ mor-
tua. Sicut enim tempore hyemis omnes arbo-

res, tam virides quàm aridæ similes sunt, at in æstate cognoscitur quæ nam sunt vita & succo destitutæ, cùm nec fructus proferant, nec flores aut folia producant, quæ item sunt virides, cùm folijs & fructibus grauidatæ turgescant: ita in hac vita, quasi in hyeme, istorum operum discrimen, saltem à plurimis non deprehenditur; at in futura, quasi in æstate videbitur. Assimilatur item bona intentio capiti, quia sicut à capite tanquam à parte principe & primo fonte, vitales functiones in reliqua corporis membra dimanant, ita & in bonum opus, forma, nobilitas, dignitas, meritum ac precium, à pura intentione deriuatur: Columnæ præterea: Nam *sicut fabrica columnis,* inquit S. Gregor: in moral. *columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt.* Deniq; assimilatur oculo simplici, & lumini seu lucernæ lucenti. *Si oculus tuus fuerit simplex,* inquit Christus Dominus Matth: 6. *totum corpus tuum erit lucidum.* Et. *lucerna corporis tui oculus.* quæ loca interpretantur de pura intentione. S. Aug: Serm: cit: de monte Dei, hîc. S. Bern: Ser: 3. de Assumpt. & S. Greg: 28. mor: c. 6. Prior ita dicit: *Sic intelligendus est hic locus, vt nouerimus omnia nostra opera tunc esse munda, & placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est intentione supernâ, fine illo charitatis. Oculum ergo hîc accipere debemus, ipsam intentionem; omnia verò opera, totum corpus appellauit: quod & Apostolus fecit, membra enim*

nostra,

nostra, dicit quædam opera, quæ improbat, & mortificanda præcipit, dicens: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, auaritiam, &c. Col: 3. Secundus verò sic scribit: *Sunt, quorum non simplex est oculus, & recipiunt mercedem suam:* Ac propterea ibidem ita necessariam putat esse intentionem bonam, vt sine ea acceptū Deo opus non sit futurum. Tertius verò, videlicet S. Greg: ita ait: *Quid per oculum,* inquit, *exprimitur, nisi opus suum præueniens intentio, quæ priusquàm se in actione exerceat: hoc iam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi vnaquæq; actio, quæ intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur. Lucerna itaq; corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium, merita illustrantur actionis.* Hæc ille. Metaphoricè autem dicitur intentio bona, oculus, & lumen simplex, cùm non sit actus intellectus, sed voluntatis. Ideo autem sic dicitur, quia sicut lumen & oculus corporalis simplex, hoc est purus & mundus ab aliquo humore extraneo qui impedit visionem, licet sit tam paruus orbiculus; tamen sufficit, & est causa, vt membra corporis nostri non impingant, sed rectos gressus aut motus faciant: ita & intentio recta est causa, vt operationes nostræ sint rectæ, nam id quod fit ex intentione honesti, quatenus honestum est, secundum prudentiam, culpabile non est: Contra verò intentio mala, vocatur oculus nequam. *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit:*

ſum erit: id eſt, ſi intentio tua mala fuerit, totũ opus virtutis inficietur ab ea. *Quod enim*, inquit S. Gregorius l. c. *cum peruerſa intentione rectum agitur, & ſi ſplendere aliquando coram hominibus cernitur tale opus, tamen apud examen interni iudicis obſcuratur.* Et propterea ſuadet B. Laurentius Iuſtinianus de diſciplina monaſt: c. vlt. ſæpè bona opera examinare, ne ſiniſtra aliqua intentione fuſcentur, & ex ea valorem ſuum amittant. Tertium malum quòd incurrit qui actionem virtutis ſine recta intentione facit, quia præmium nullum à Deo pro tali opere accipiet. Præclarè S. Hieron: in c. 6. Matth. *Apud Deum, non virtus, ſed virtutis cauſa mercedem habet.* & S. Ambr. *Deus non curat quantum fiat, ſed qualiter.* Deniq; S. Greg. *Sicut falſis denarÿs nihil emitur boni; ſic nec regnum cœlorum falſis comparatur virtutibus.* Quartũ & vltimum malum, quia huiuſmodi tranquillitate animi carebit, hæc enim inter alia, etiam ex rectitudine intentionis procedit: & viceuerſa, ipſæ virtutes ex tranquillitate animi procedunt, quòd iam ante vidimus ex S. Baſilio. Quod ſi hæc mala incurruntur, ideo quia opus virtutis fit, vel ſine bona intentione, vel ſine vlla; quantò magis & maiora mala incurrentur, cùm opus virtutis ex praua intentione fiet. Profectò talis, qui præpoſterum finem intendit, nondum videtur incepiſſe vitam ſpiritualem; hoc enim cauere ad incipientes pertinet: ſed nec dum cæpit eſſe ſeruus Christi.

Quare S. Paulus ait ad Gal: 1. *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem*, id est, placere intenderem, *Christi seruus non essem*. Vnde S. Ansel: ibidem ad eum locum: *Quisquis se apud homines iactat, & ita ventilat bona opera sua, vt finem eorundem operum in laude hominum ponat, eandemq; laudem hominum quasi mercedem computet operum suorum, nec dum seruus Christi est*. Talem etiam appellat Ricardus l.c. interfectorem suorum filiorum. *Quid enim iuuat*, inquit ille, *si liberorum nostrorum interfectores, conscientia propria nos esse conuincit. Qui in ipso proposito ex mala intentione opera sua corrumpit, abortiuum fœtum facit; qui verò post exercitium opus virtutis, ad oblationem vanæ laudis à pristina intentione inanescit, iste quasi iam natum & adultum occidit*. S. Hieron: lib: 3. in ep: ad Gal: ad c. 5. affirmat operi virtutis, quod fit ob inanem gloriam, etiam martyrio, quòd quis subit, vt reliquiæ ipsius honorentur, non tam præmium, quàm pœnam deberi: & tormenta tanquam perfidiæ, non coronam victoriæ. Idem deniq; docet & Cass: col: 14. c. 17. super illa verba. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, Psal: 14. *Omnis enim*, inquit, *qui eloquia Dei* (& idem est de quouis virtutis opere) *humanæ laudis amore dispensat, pecuniam suam errogat ad vsuram, non solùm nulla pro hoc præmia, sed etiam supplicia meriturus. Ob hoc enim pecunias Domini maluit profligare, vt ex eis temporalē consequeretur ipse mercedē; non vt Dominus, sicut scriptū est veniens, quod suum est reciperet cum vsura*.

Secundum, quòd notari debet circa exercitium virtutis: seruandum esse in actione illius ordinem, vt scilicet debito tempore & loco fiat: loqui enim inducendo aliquem ad pœnitentiam, cùm silentium seruandum est, malum est, idq; ideo quia non debito tempore. Similiter comedere in templo, vt possis laborare propter Deum, malum est ratione loci, seu ordinis relicti. Hic ordo, actionibus humanis virtutum, tri buit rectitudinem, pulchritudinem & ædificationem: sicut è contrariò neglectus illius, culpam, deformitatem & offensionem; non dissimili modo, sicut in rebus naturalibus, ordo, pacem, & prætermissio ordinis perturbationem gignit. Hoc quòd dixi de ordine seruando in exercenda actione virtutis, docuit S. Augustinus lib: de natura boni c. 3. & propterea dixit. *Quanto magis moderata & ordinata sunt, tanto magis vtiq; bona sunt.* Colligitur idem ex S. Ambrosio Serm: 4. in Psal: 118. S. Bern: lib: 2. de considerat. & Theodor: lib: 4. in Cantica.

Tertium & vltimum aduertendum: seruandum quoq; esse modum in actionibus virtutum faciendis; id est rectam rationem faciendi illas; vt scilicet cum debitis omnibus circũstantijs ab operante procedant. Requiri autem hunc modum, patet primò, quia bonum non est nisi ex integra causa, vt docet Philosophus; malum ex quocunq; defectu. Secundò, quia ita docent sancti Patres, Nazianz: 2. Orat; Theolog.

Theolog. *Modus*, inquit, *tenendus est in omnibus actionibus, etiam exterioribus. In omnibus*, inquit S. Ambr: 8. in Luc: 12. *modus quæritur : & quidquid abundantius est, à malo quæritur :* & primò offic: c. 20. vbi etiam & ordinem requirit. S. Bern: l. c. & S. August: l. c. c. 22. *Omnia*, inquit, *moderata, modesta & modificata, dici sine laude non possunt, quia omnis modus, in quantum modus, bonus est.* Sicut qui non solùm bene pulsat citharam, sed & ordinem & modum in pulsando seruat, is perfectè citharisat; ita qui non solùm secundùm substantiam, bonam actionem virtutis facit sed & ordinem & modũ seruat, perfectè actionẽ virtutis seruat Deniq; S. Chrys: hoc ipsum indicat, cùm hom: 22. ad pop. Antioch: dicit. *Intẽta solicitudo & vigilantia nobis est necessaria in virtutibus acquirendis.* Tertiò; Idem quoq; habetur ex S. Scriptura: *Maledictus homo, qui opus Dei negligenter facit.* Hier 48. Propter defectum huiusmodi: *Omnes in stadio currunt, sed vnus accipit brauiũ.* 1. Cor: 9. & *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 2. Tim: 3. Ad hunc modum spectat, non præcipitanter actionem virtutis facere, non cum tedio, non remissè, sed feruenter: Nam & virtutes, saltem acquisitæ, vt experientia docet, actibus remissis non crescunt, & spiritualis vir feruidè & strenuè debet tendere ad perfectionem, vt vidimus suprà, ac proinde etiam ad acquirendas virtutes. Deniq; quia virtutes acquirere, est opus Dei facere, qui verò negligenter facit opus

Dei: hoc

Dei: (hoc verò agit qui illud remissè agit) is maledictus.

Sextum instrumentum, pugna cum vitio contrario virtuti illi, quam cupimus acquirere, de qua re egimus cap: 35.

Septimum, examen particulare, id est particularis cura circa vnam illam virtutem, quam cupimus acquirere; quod fit tum propositum faciendo, seu statuendo exercendi actus illius virtutis; tum procurando seu hoc ipsum exequendo; deniq; statis temporibus à se rationem exigendo, an tam salutare decretum fideliter & integrè sit executus. Meminit huiusmodi examinis, imò & alterius illius, quod est circa vitia, ad ea in nobis extirpanda D. Bernar: Ser: 6. Quadrag. vbi postquam dixisset non pauca esse obstacula, & impedimenta perfectionis, præcipuum verò infirmitatem voluntatis; *Sed heu me*, inquit, *quot obstacula prohibent impedimenta*, scilicet ad perfectionem, &c. mox subiungit. *Sicut ergo aliis impedimentis repellendis, congrua remedia quærimus, ita etiam infirmitati*, scilicet voluntatis, *proprium adhibemus remedium, necesse est. Illud autem non est aliud, quàm particularis proficiendi cura, ad vnam virtutem & vnum vitium applicata.* Indicat & D. Chrisostomus: *Aggrediamur*, inquit, *virtutem cùm tempus habemus, distribuamus virtutes nobis, sicut sibi distribuunt agriculturam agricolæ. In hoc mense patientiam nos ipsos doceamus, & in alio aliam virtutem, & cùm hanc virtutem in habitum perceperimus, ad ali-*

am transeamus, sicut solent discipuli, qui quæ acquisierunt, custodiunt, quæ verò nec dum didicerunt, discendo acquirunt. Loquitur etiam ibidem & de extirpatione vitiorum, contra quæ omnia vt simul pugnemus, dicit non expedire, sed per partes.

Octauum. Robur animi, firmitas & constantia, ad persistendum in quærenda virtute. Multæ enim difficultates nobis superādæ sunt, vt virtutem obtineamus, virtus etiam cùm sit res perfectissima, laboriosa est; & officium illius est, naturam corruptam castigare, & comprimere, à rebus dilectis segregare, & ab ingenita vtilitate educere, & ad altiora & inuisibilia sustollere, vt propterea in operibus virtutum non parua sit difficultas. Deniq; voluntas nostra instabilis res est & mutabilis, nisi ergo animus ad superandas has omnes difficultates, induat robur, firmitatem & constantiam, excitando videlicet seipsum considerationibus vtilitatis, necessitatis, excellentiæ, & aliarum rerum, quæ virtutibus conueniunt; item spe auxilij diuini, & ex aduerso, consideratione turpitudinis vitij, pœnæ, periculorum, & aliorum, quæ illi insunt, nunquam virtutē aliquam obtinebit. Et hæc de instrumentis seu medijs ad acquirendas virtutes.

Cæterum circa hoc ipsum aduertenda sunt octo. Primùm; virtutes singulas singillatim esse acquirendas, & exercendas, ac cuiq; suum

tempus,suumq; exercitium tribuendum:cauenda enim est in omni disciplina confusio,& quia potentia nostra finita est, non potest simul pluribus bene intendere. Hoc quoq; documentum tradit S. Bernardus, & S. Chrysost: locis citatis in septimo instrumento. Secundum; non satis esse aliquot duntaxat virtutes acquirere, & nobis familiares reddere, nam & perfectio supponit omnes, vt vidimus: & virtutes sunt colligatæ, connexæ, seu concatenatæ, ita vt vna deficiente, alia non leue detrimentum subeat, non solum ex sententia SS. Patrum, sed & Philosophorum: quod ita intelligendum est,non quòd vna virtus moralis acquisita,id est, non infusa, nō possit spectata natura suâ, absolutè, sine alia reperiri; hoc enim experientia docet,cùm possit esse quis sobrius, vt ait S. Leo, Ser: 5. de collect: & non esse misericors, sed quòd omnes connexæ sint tum perfectione; vna enim sine alia non est vndequaq; perfecta, vt ait S. Greg: 22. Mor: c. 1. *Vnaquæq;*, inquit, *virtus, tantò minor est, quantò desunt cæteræ.* Et post multa, vbi particulatim ostendit hoc de singulis virtutibus, concludit: *Vna itaq; virtus sine alijs, aut omninò nulla est,aut imperfecta,* tùm participatione quadā, saltem multæ illarum, vt docet S. Hieronymus contra Pelagium, c. 1. *Qui vnam*, inquit, *habuerit virtutem, omnes virtutes videtur habere*, participatione, non proprietate. Hæc autem participatio hinc colligitur, quia in quolibet virtutis

actu, est

actu, est ordo rectus medij ad finem, qui pertinet ad prudentiam: est rectitudo & æqualitas cum regula operandi, quæ pertinere videtur ad iustitiam: est firmitas animi in operando, quæ pertinet ad fortitudinem: est deniq; moderatio, quæ pertinet ad temperantiam. Ad extremum connexæ sunt virtutes indigentia mutui subsidij, quia vna virtus, quæ ab alia subsidium non accipit, seu sine alia periclitatur; vt v. g. castitas sine humilitate, & contra, si superbia & delitijs circumdetur, item liberalitas sine mansuetudine. Docet hoc S. Greg: l. 21. Moral: c. 8. *Omnes*, inquit, *virtutes, in conspectu conditoris sui, vicariâ ope se subleuant.* Hoc ipsum S. Basilius Ser: de abdicatione rerum, asserit de humilitate respectu omnium aliarum virtutum *Animi*, inquit, *in virtute progressus, est progressus in humilitate*: quasi vellet dicere, quo passu crescit humilitas, crescunt & aliæ virtutes, propter dependentiam quandam ab humilitate. Tertium; quamdiu immorandum in exercitio alicuius vnius ex acquisitis virtutibus, patet ex ijs quę diximus c. 35. de vitij extirpatione. Quartum; cùm quis vult virtutem aliquam acquirere, proponat sibi aliquem virtuosum imitandum; hoc enim plurimum prodest, vt experientia docet, & vid: c. 20. ac videbimus 45. Quintum; non omittendæ occasiones virtutis, cùm se offerunt ad eam eliciendam, ei qui virtutem aliquam incipit acquirere. Necessarium id esse in rebus humanis tē-

poralibus, nimis clarè omnes videmus. Nam & Dux belli, si occasionem hostem vincendi negligat, solet ab eo vinci, & miles in congressu, nisi tempestiuè ictum repellat, occiditur; & Mercator si tempora emendi & vendendi non obseruet, patietur detrimentum: sic & in rebus spiritualibus, si homo occasionem exercendæ virtutis prætermittat, quam vult acquirere, aut vulnus contrarij vitij patietur, aut damnum profectûs amissi reportabit. Quia sponsa celeriter non aperuit sponso pulsanti, eius suauissimo aspectu & complexu priuata fuit. *Aperui pessulum ostij mei dilecto meo*; sed quia nõ statim, occasionem videndi sponsum, alloquendi, &c. amisit: declinauerat enim ille & transierat; *Cant*: 5. Non sic facit sapiens; vt bene dicit de eo Salomon, Prou: 9. *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.* Sextum; illæ virtutes ex acquisitis priùs acquirendæ, quæ sui status sunt, tam communes, quàm particulares, & maximè ad quas quis particulariter vocatus est à Deo, quod videbimus cap: 51. Septimum; non sufficere ad perfectionem, acquirere aliquid vniuscuiusq; virtutis, sed augendam esse vnamquamq; illarum, & crescendum nobis in omni genere virtutum. Et hoc vult Deus à nobis. *Beatus vir*, inquit Propheta, indicans hoc Ps:83. *cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit: Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtu-*

tem, vide-

tem, videbitur Deus deorum in Sion. Explicat hoc non minùs eruditè, quàm piè, S. August: in illa verba, Psal: 137. *In quacunq; die inuocauero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem:* vel vt ipse legit: *Multiplicabis me in anima mea virtute.* Sic ergo ait: *Multis modis multiplicatio intelligi potest: est multiplicatio terrenæ generationis, secundum primã generationis naturæ benedictionem, quam audiuimus: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Sicnè ille volebat multiplicari, qui dicebat: Cito exaudi me? quasi dicat, Non. Sunt & aliæ multiplicationes: Multiplicatus est ille auro, ille argento, ille pecoribus, iste familiâ, possessionibus, &c. Cùm ergo tam multæ sint multiplicationes: quam quærit ille, qui dicit: Cito exaudi me? Audi ergo, dicit in anima mea, non in carne mea. Nunquid vult, vt multiplicentur in anima vitia? sunt enim in quibus, sunt multiplicata, Auaritia, Superbia, Luxuria, &c. multiplicati, inquam, sunt, sed malo suo: multiplicatio hæc egestatis est, non vbertatis. Et propterea addidit Propheta: Multiplicabis me in anima mea virtute; expressum votum est, & desiderium augmenti virtutum.* Octauum & vltimum; quæ de modo acquirendarum virtutum dicta sunt, eadem seruiunt etiam augendis ijsdem, & ad propriam perfectionem prouehendis, vt scilicet ad perfectam imitationem virtutum Christi perueniant; habet enim quælibet virtus propriam perfectionem, ad quam peruenit, & crescit, & in Christo nonnisi perfectissimæ fuerunt, vt vidimus cap: 19.

CAPVT XLII.

An Perfectio sit possibilis?

HVcusq; distulimus hanc quæstionem, vt clariùs dissoluatur.

Certum est ex fide, possibilem esse non physicè solùm, sed & moraliter, hominibus perfectionem in hac vita. Illud dicitur physicè possibile, quod ex natura rei potest fieri, seu non implicat contradictionem ex natura rei, maximè si detur causa cum omnibus requisitis ad illud efficiendum. Illud verò moraliter possibile, quod & physicè possibile est, & etiam iudicio virorum prudentum, qui consideratis omnibus molestijs, & difficultatibus, quas causam subire oportet in producendo effectu, nihilominus censent illud fieri posse: quo pacto censetur impossibile moraliter, quòd sagittarius semper circa idem signum repetitis mille ictibus, collimet. hoc posito. Probatur nostra assertio. Primò: quia nihil impossibile physicè vel moraliter hominibus, includitur in definitione perfectionis, vt vidimus: & prudentes docent posse nos consequi perfectionem, vt infra. Secundò. Quia Scriptura testatur, fuisse de facto perfectos homines in hac vita, scilicet Noe, quem vocat non solùm virum iustum, sed & perfectum, Gen: 6. S. Paulus etiam ad Philip: 3. annumerat se perfectis: *Quicunq; perfecti sumus, idem sentiamus.* Ex eadem scriptura habemus, Abrahamo datum consilium à Deo, vt sit

perfectus,

perfectus, Genes: 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Christus etiam Dominus hortatus est vniuersos ad perfectionem, Matth: 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est.* Et Matth: 19. adolescentem quærētem, quid sibi cùm omnia mandata Dei ab adolescentia seruâsset, deesset adhuc ad vitam æternam consequendam, docuit media, quibus perfectionem si vellet, consequi posset. *Si vis perfectus esse, vade. &c.* Ad eandem quoq; perfectionem monent SS. Apostoli, instigant & impellunt nos. S. Paulus 2. Timot: 3. Omni homini datas esse sacras literas astruit, vt perfectus sit, & ad omne opus bonũ instructus. S. verò Iacob ait cap: 1. patientiæ occasiones dari hominibus, vt patientia virtutis structuram perficiat, & vt sint perfecti & integri in nullo deficientes. Quæ omnia ex S. Scriptura indicant, possibilẽ esse hominibus perfectionem in hac vita, quandoquidem, & fuerunt de facto aliqui perfecti, & ad nullam rem impossibilem vocat & hortatur Deus, cùm sit & infinitè sapiens, ac proinde non fallitur, & infinitè iustus, ac proinde non exigit impossibilia, nec damnaturus est hominem, vt ait S. Hieron: Epist: 1. ad Demetriad. pro eo quod vitare non potuit. Certum igitur est hoc ex fide. Tertiò: habemus Ideam perfectionis, & non vnam, & quidem etiam oculis nostris conspicuam ac imitabilem: non deest causa cum omnibus requisitis ad producendam perfectio-

nẽ, propterea enim Deus peculiari modo est autor perfectionis: multi etiã viri perfecti fuerunt in hac vita, qui nos præcesserunt ad perfectionem, & iter nobis ad eam monstrârunt: non desunt duces ac Magistri, neq; lux oculis, aut ingenium, quia Christus est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, etiam cœcum à natiuitate: non possumus prætexere virium imbecillitatem; quia Christus qui nos hortatur ad perfectionem, potens est, & pro sua bona voluntate operatur in nobis, & velle, & perficere: deniq; obligamur nos Religiosi ad quærendam perfectionem; quæ omnia patent ex dictis supra, & indicant possibilem esse nobis perfectionem in hac vita.

CAPVT XLIII.

An Perfectio in sæculo obtineri possit.

TRactamus hanc rem, non quia difficultatem alicuius momenti habeat, sed vt hac occasione, artem seu tentationem quandam dæmonis, mundi, & carnis, laruatam valdè, detegamus, qua multos, qui à Deo vocantur ad Religionem, & ad fugam sæculi exstimulantur, decipere conatur, persuadendo illis, totum illud ad quod vocatio diuina tendit, & eos inuitat, posse in ipso mundo obtineri, ac proinde non esse necessarium ad Religionum deserta confugere, cùm in ciuitatibus & oppidis, non desint viæ, & rationes, ad cælum perueniendi, & inter cognatos & amicos, liceat perfectionem asse-

nem assequi, quemadmodum non pauci sancti, in sæculo manentes, eam sunt assecuti. Quæ tētatio, non dissimilis illi, qua dæmon per Pharaonem tentabat populum Hebræum, ne iret ad sacrificia offerenda in desertum, ad quod faciendum Deus vocabat illum per Moysen & Aaron, manifestando hanc esse voluntatem suam. Dicebat enim Pharao Iudæis, Exod: 8. *Sacrificate Deo vestro in terra hac*; quasi diceret: Nolo vos impedire, ne faciatis voluntatem Dei vestri, & seruiatis ei, & nemo alius in hoc vos impediet, eritq; hæc res cum maiori vestro commodo & pace. Ita dicit & dæmon ijs qui vocantur à Deo ad Religionem. Sectemini perfectionem in mundo, potestis enim hoc bene facere, & erit hæc res vobis gloriosior, & alijs vtilior. Hoc posito

Respondeo 1. Posse absolutè hominem obtinere perfectionem in sæculo. Est communis SS. PP. Theolog: & Magistr: vitæ spiritualis, Aliquorum ex his testimonia, citat Ponte Tom: 2. Tract: 1. cap: 7. vbi etiam docet, in omni statu posse acquiri perfectionem: imò ostendit ex S. Greg: lib: 6. Moral: c. 5. aliquando homines, qui minora talenta acceperunt à Deo, ingenij videlicet, iudicij, eruditionis, &c. faciliùs consequi perfectionem. Probatur primò: quia S. Script: clarè docet, aliquos homines sæculares fuisse perfectos. Eadem etiam exhortatur, vt homines sæculares in sæculo existentes, sint perfecti, vt vidimus præced: cap.

Quamrem ſapienter expendens S. Chryſoſt: lib: 3. vituperat: vitæ Monaſt: infert contra quendam: *Qua tu tandem ratione, Monachorum perfectionem maiorem eſſe dicis, cùm eadem perfectio omnibus proponatur?* Quod proculdubiò non dixiſſet Sanctus, ſi perfectionem non putaret eſſe poſſibilem ſæcularibus. S. quoq; Greg: in Dialog: & Homil. 15. in Euang: affirmat, Seruulũ illum, cuius memoriam celebrat Eccleſia 23. Decembr. paralyſi reſolutum, indigentiâ preſſum, nihilominùs per patientiam, ſanctitatem, & perfectionem aſſecutum, vt qui viuens, aſpicientibus horrorem incuſſerat, moriens, aſtantes ſuauiſſimi odoris fragrantia recrearet, & Angelis ſtipatus in cælum aſcenderet, ſuæ tolerantiæ præmia cumulatiſſima accepturus. Caſſ: etiam coll: 10. c. vltimo, clarè docet, vnumquemq; etiam imperitum & ruſticum perfectionem obtinere poſſe. Et coll: 4. c. 19. aſſerit, faciliùs aliquando ad perfectionis faſtigium carnalem aliquem peruenire, quam Monachũ tepidum. Huc etiam ſpectat illud S. Bern: ex Serm: 1. de aduentu: *Non enim oportet te, ô homo, vt perfectionem aſſequaris, maria transfretare, aut nubes penetrare, ſed nec tranſalpinare te neceſſe eſt. Non grandis, inquam, tibi via oſtenditur, vſq; ad temetipſum occurre Deo tuo, &c.* Exiſtimat igitur hic Sanctus, poſſe à quoquam acquiri perfectionem, compũctione, humilitate, & vnitate cum Deo.

2. Quia nihil tale in definitione perfectionis

includi-

includitur, propter quod impoſſibile eſſet eam in ſæculo obtineri, vt patebit per ſingula diſcurrenti. Et poſſibile eſt etiam in ſæculo ad eum statū Charitatis Theologicæ peruenire, in quo ſit priuatio inordinationis cupiditatis, & paſſionum, & acquiſitio pro virili virtutum. 3. & vltimo. Viri prudentes & timentes Deum, imò & Eccleſia, hortatur etiam ſæculares in ſtatu coniugali, vt perfecti ſint; quod non facerent, ſi illis impoſſibilis eſſet perfectio, & aditus ad eam negaretur.

Reſpondeo ſecundò. Difficulter poſſe obtineri perfectionem in ſæculo: longè autem faciliùs & ſecuriùs in Religione. Docent hoc etiam SS. Patres, Theologi & Magiſtri ſpiritual. Et nota eſt hæc res ipſâ experientiâ: pauciores enim ſunt qui perfectionem acquiſiuerunt in ſæculo, ijs qui in Religione. Deus etiam benigniſſimus, non alia de cauſa vocat homines ex ſæculo ad Religionem, niſi vt faciliùs & ſecuriùs acquirant perfectionem; quod etiam vt vidimus in ſuperioribus, indicant illa verba Chriſti, Matth: 5. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, &c.* Deinde nemo negare poteſt, plura eſſe impedimenta acquirendæ perfectionis in ſæculo, quàm in Religione; & pauciora adiumenta diuina & humana: maiora itidem præſidia & auxilia Dei, ad capeſſendam perfectionē conceſſa Religioſis, quàm ſæcularibus: efficaciora etiam eoſdem habere media & inſtrumē-

ta possidendæ eiusdem, nimirum Paupertatem voluntariam, Castitatem & Obedientiam, vt vid: supra. Religio præterea est status perfectionis, obligans Religiosos, vt tendant ad perfectionem, vt patet ex c. 22. quæ res multum ad hoc ipsum conducit: locus quoq; ipse in quo habitant Religiosi, à curis diuitiarum, honorũ & voluptatum sequestratus, multum ad eam obtinendam confert, atq; conducit. *Quid enim aliud sunt Monasteria*; (quod idem dicendum est de quacunq; domo Religiosa) *nisi præsidia munitißima*, vt inquit S. Laurentius Iustinian: lib: de Obedientia, cap: 17. *sanctisq; Angelorum vallata custodijs, ignitarumq; Orationum roborata suffragijs.* Est profectò Religiosa domus, veluti specula, ex qua, quid hostes perfectionis moliantur, spectamũs: est locus eminens, vnde mundi laruas, & malorum Tragædias inspicimus: est *portus*, vt ait S. Greg: in Moral: *ad quem à tempestate paßionum nostrarum confugimus: & in tranquilitate positi, videmus pericula & naufragia hominum, in periculoso ac turbulento mari huius sæculi conuersantium.* De se ait Vincent: Lirinen: in præfat: lib: contra Nouatores: *Condidimus nos in portum Religionis, cunctis semper fidißimum, vt ibi & præsentis vitæ naufragia, & futuri sæculi incendia vitare possemus.* Est præterea Religiosa domus, veluti lectus in Ecclesia, in quo quiescitur, vt ait S. Bern: in Cant: Serm: 46. nam in ea quietè viuitur à curis & solicitudinibus vitæ. Atq; is lectus floridus de-

monstra-

monstratur, cùm exemplis & institutis Patrum, tanquam quibusdam bene olentibus floribus, fratrum conuersatio & vita refulget. Est etiam veluti nidus nos tutò excipiens, & ab aucupibus, id est dæmonibus, defendens. Vnde meritò dixit S. Bern: Ser: super illa verba: *Simile est regnum cælorum, homini quærenti bonas margaritas.* Religionem esse locum, vbi *homo rarius cadit, & velocius surgit.* Meritò certè Deus protegit sic Religiosos, quandoquidem ipsi propter illum reliquerunt omnia, quæ homines sæculares solent protegere, nimirum diuitias, possessiones, amicos, cognatos, parentes; & nudi, atq; omni mũdano præsidio spoliati remanserunt. Est item Religiosa domus, paradisus voluptatis, in quo ponit Deus homines, & eos in filios dilectissimos efformat. Est cælum quoddam Empyreum, in quo gustant, & vident quàm suauis est Dominus. Tandem est locus sanctus, vt ait S. Bern: in Epist: ad Fratres in monte Dei, in quo Dominus dominorum, & seruus eius, sæpè colloquuntur, sicut vir ad amicum suum, & in quo fidelis anima crebrò Deo coniungitur. Taceo exempla bona in Religione ad omnem perfectionem: nihil dico de cura Superiorum, qui nos promouent ad perfectionem, quam rem videbimus cap: 50. Facilior etiam est vnaquæq; virtus & exercitium illius in Religione, quàm in sæculo: habitus quoq; ipse religiosus, incitat nos ad perfectionem. Denique periculum est

maximnm,

maximum, velle in mundo perfectioni attendere, ne scilicet, aut nos ille post se trahat, aut saltem impediat & persequatur, vidēdo nos sectari perfectionem, & amare ea ac magnifacere, quæ ipse odit, ac parui facit, imò & abominanda ac stulta reputat, nimirum mortificationem & contemptum: ac contra, conculcare ea quæ ipse adorat ac veneratur, nimirum diuitias, honores ac voluptates. Quid non facient mundani, maximè amici, parentes, & cognati, cùm viderint nos erogare diuitias nostras pauperibus, reijcere coniugia, condonare iniurias, & omnibus, mancipiorum instar, deseruire. Certè saltem propter murmurationes ipsorum, querelas, lachrymas, molestias, & vexationes, non posset homo eâ quiete Deo suo famulari, quâ desiderat; ac proinde lōgè securius est tàm ab illis, quàm à sæculo, longissimè recedere. Bene expertus est hoc S. Franciscus, cùm Deo in domo paterna pauper seruire incæpit: propter quod sæpiùs à parente, ac domesticis adeò multa passus fuit, vt nisi tanta subsidia habuisset è cœlo, non potuisset illis aliquo tempore resistere. Sed statim atq; ad vitam Religiosam se recepit, sine difficultate conculcauit omnes pompas huius mundi: quia in Religione faciliùs id præstari potest, cùm in ea honori tribuatur contrario modo viuere, quàm viuat mundus: & sequi consilium S. Ambr: lib: 2. Epist: 4. dicentis: *Si optas seriò seruire Deo, quod refugit Ægyptius, hoc complectere.*

Illi er-

Illi ergo qui vocantur à Deo ad Religionem, dum huiusmodi tentatione, de qua diximus initio capitis, tentantur, respondeant illud ipsum dæmoni, carni & mundo, quod respondit Moyses Pharaoni: Exod: 8. *Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro.* Clariùs, cùm Dominus Deus noster vocet nos & velit, vt ei seruiamus in statu perfecto Religionis, non possumus diabole in sæculo remanere, offerēda enim sunt Deo, quæ mūdus abominatur, id est omnia fugienda, quæ amat, & amanda quæ odio prosequitur; quod præstare nos ille non patietur, & vel trahet nos post se, vel molestijs maximis afficiet, ita vt quietè seruire Deo non possimus. Sed licet abesset hoc periculum, nihilominùs volumus facere voluntatem Dei, qui in deserto, ac in monte Religionis, & non alibi vult nos salutem & perfectionem consequi, dicatq; nobis id quòd dixerunt Angeli Lot, Genes: 19. *Ne stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu similiter pereas.*

CAPVT XLIV.

An eadem sit Perfectio Religiosorum & sæcularium.

AIo eandem esse essentialiter, saltem ratione principalis prædicati, & quod in recto de ea dicitur: diuersam verò, vel tantùm

ratione diuersi connotati, vel solùm, quia alijs quibusdam duntaxat medijs acquiritur, & acquiri debet perfectio à Religiosis, quàm à sæcularibus. Ita verò se habere hanc rem, colligo. Primò ex dictis suprà, nam Perfectio essentialiter & in recto nihil aliud est, quàm Charitas Theologica, connotans priuationem, inordinationis passionum ac vitiorum, & acquisitionem virtutum pro virili. Vna autem tantum est specie Charitas Theologica, iuxta doctrinam communem Theologorum; vt etiam vidimus cap: 16. ac proinde vna tantum Perfectio essentialiter, saltem in recto. Esse verò diuersitatem in medijs quibus acquiri debet, certum est etiam ex supradictis. nam Religiosi alia habent ex vi status sui media, quibus tendunt ad perfectionem, nimirum paupertatem voluntariam, castitatem & obedientiam (vt interim taceam alia, nimirum Regulas & constitutiones proprias) ad quæ tenentur ijdem, non sæculares. Secundò, quia ita expresse docent S. Chrysost: & Cassi: l. c. cap: præced Alij etiam Sancti Patres, Theologi & Magistri spirituales ita loquuntur de perfectione, tanquam de vna & eadem omninò essentialiter. Tertiò, vna est essentialiter omnium hominum beatitudo alterius vitæ; ac proinde & vna erit, beatitudo absoluta huius vitæ eorundem. Quartò, ad vnam quoq; & eandem perfectionem hortatur omnes homines Christus Dominus; & in alijs

locis S.

locis S. Script. vt patet ex superioribus, neq; diuersitas essentialis aliqua perfectionis vel leuiter deprehendi potest, ex sequ: paginis.

Ex his verò patet, eandem quoq; fuisse perfectionem legis veteris & nouæ, licet in vtraq; fuerint diuersa præcepta & cæremoniæ, quarum obseruatio necessaria erat ad obtinendam perfectionem.

CAPVT XLV.

An pauci vel multi perfecti.

RESpondeo absolutè esse paucos viros perfectos, hoc est non in vno tantum aliquo tempore, sed respectu omnis temporis, & conferendo eos non cum omnibus reprobis, & imperfectis omnino, sed etiam cum illis solis, qui terrenis rebus despectis, assequendæ perfectioni insistunt. S. Cypr: lib: de operibus Christi, Serm: de Ieiunio, asserit, paucissimos esse absolutè Sanctos, sicut Moyses, Noe, &c. ac proinde & perfectos, idem enim sunt. Et S. Aug. Perfectionem vult paucorum esse, imperfectorum verò infinitum esse numerum. Cassi: etiã col: 19. c. 9. ait: raram esse perfectionem, & paucissimis Dei dono concessam. Alphonsus quoq; Tostatus q. 5. in c. 4. Matth. ponit vt certum in paucissimis esse perfectionem: & propterea monet, Prædicatori religioso moderatè conuersandum esse cum hominibus, ne mores

populi imbibat, & imperfectiones: idem documentum seruire debet omnibus religiosis, qui proximorum saluti, attendunt. Aluarez non solùm in præfat: tom:1. de perfect: asserit paucissimos esse, etiam inter religiosos, qui suis affectibus imperent, & humilitatem ac sui despectionem concupiscat, vt vix vnum aut alterum in cœnobio perfectum inuenias, : sed etiam dolet & ingemiscit propterea, & quantum potest ad perfectionem omnes excitare conatur: libro verò 4. p. 2. c. 34. probat paucitatem perfectorum ex S. Script. Deniq; eiusdem est sententiæ Rosign: lib: de discipl: Christ: perfectionis, vnde & reddidit duas causas lib: 3. c. 18. cur pauci sint perfecti, etiam inter eos qui seriò perfectioni attendunt. Prima quia pauci sunt, qui non laborant fluxu volubilium cogitationum, illarum scilicet, quæ non sunt circa ea, ad quæ nos diuinus instinctus inclinat. Secunda, quia pauci sunt, qui permittant se abstrahi & annihilari in suis desiderijs, & totum suum affectum transformari in Deum. Sed res hæc clara est ex his omnibus, quæ hucusq; diximus de perfectione: & deniq; experientiâ ipsa; paucos enim eiusmodi reperire est, in quibus sit Charitas Theologica in eo statu, qui careat inordinatione passionum, habitibus vitiorum, & pro virili virtutes omnes acquisierit, ac proinde paucos esse perfectos. Paucos esse electos asserit veritas, Matth: 22. pauciores ergo erunt perfe-

cti, nam non quiuis electus, perfectus.

Mira profecto res arborem Charitatis Theologicæ plantatam in paradiso seu horto Religionis, in multis Religiosis non facere fructus perfectos, maturos, & Deo gratissimos. Inter alias pœnas, quas Deus comminatus est Iudæis, Isa: 65. vna erat, quòd pueri centum annorum apud illos mori debebant. experiuntur quoq; hanc pœnam familiæ religiosorum, apud quas rarus est qui non moriatur puer centum annorum, eò quod rarus est, qui magnum progressum in virtutibus faciat. Rara igitur est perfectio in mundo, ac proinde vel hinc digna admiratione: causa enim admirationis, teste S. August: ep: 101. ad Eliodorum, non solùm cùm ratio alicuius rei latet, sed & cùm singularis & rara est.

Concludo. Hoc ipsum quod audiuimus modò, excitare nos debet, ad perfectionem strenuè quærendam & possidendam; nam & rara pulchra, & paucitas perfectorum non excusabit nos ab oligatione, apud iudicē cuncta stricte discutientem: & quòd isti vel illi non fecerunt, poterimus nos præstare, cum auxilijs diuinis quæ nobis non deerunt, modò velimus & efficaciter velimus, ac socordiam & ignauiam abjicientes, iuxta præscriptum nostrarum Regularum viuamus.

CAPVT XLVI.

An Perfectio semel habita in hac vita, possit per peccatum mortale in eadem amitti.

MVlti Magistri Spirituales, maximè recentiores asserunt, posse illam omnino amitti. Ita expresse Aluar: tom: 1. lib: 5. p 1. c. 1. vbi etiam illud Apostoli ad Hebr: 6. *Impossibile est eos qui semel illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus S. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*: explicat de viris perfectis, & S. Apostolum viros perfectos intelligere docet, qui si semel ceciderint, & dona sibi data prostituerint, difficulter propter superbiam, perditam gratiam & perfectionem recuperant. & lib: 4. p. 1. c. 3. docet perfectionem, non solùm ignauiâ & negligentiâ deformem reddi, sed etiam peccatis grauibus nigrã & fætidam omnino effici, quòd inquit docet Ioannes Abbas exemplo cuiusdam Monachi, qui cùm feruenter Domino deseruiret, pane miri candoris, miræq; suauitatis de cælo reficiebatur: postmodum verò, cùm ad teporem deflexisset, panem diuinitus quidem præparatum, sed sordidiorem & insuauiorem accipiebat; tandem cùm ex eo tempore ad iniquitatem prolapsus fuisset, sordidissimus ei panis, aridissimus, quasi à muribus corrosus, & deniq; insipidissimus demittebatur: quo exemplo, seu

mutatio-

mutatione alimenti indicatur mutatio perfectionis, quæ ob iniquitatem potest etiam perdi: facillimum enim est à perfectione ad imperfectionem descendere, & ex illis in manifestam iniquitatem deturbari, ac propterea dicitur 1. Cor: 10. *qui se existimat stare, videat ne cadat.* Eiusdem sententiæ est Crombec: lib: 1. de studio perfect: c. 4. deniq; Rosign: lib: 5. de discipl: Christianæ perfect: c. 27. vbi monet virum perfectum, oportere in vigilia sui stare semper, nullũq; sibi suspectiorẽ putare, quàm seipsum: *quod bene* inquit, *intelligebat, imo & timebat S. Franciscus, & propterea aiebat: Nolite me sanctum vocare, quia possum adhuc filios procreare.*

Contrarium omnino videntur sentire. Primò illi, qui perfectionem constituebant, in illapsu quodam Dei increato & infinito, vt vidimus c. 10. Secundò, qui teste S. Hieron: admittebant in homine impeccantiam, qualis erat Ruffinus, Euagrius, & alij Monachi. Tertiò, Iouinianus, qui verè baptisatum, non solùm non peccare, sed neq; à diabolo tentari posse docebat, vt refert S. Hieron: lib: 1. & 2. contra eundem. Quartò & vltimò, illi qui putarunt, perfectionem esse vel ipsammet perseuerantiam in virtutibus, gratia ac sanctitate, vsq; ad extremum vitæ, vel indiuiduum comitem illius. Quorum extremorum sententia vera esse non potest, vel hinc, quod alia sit natura ac definitio perfectionis, & alia perseuerantiæ: &

non pari passu procedunt: & deniq; quia perseuerantia non cadit sub meritum, vt communiter docent scholastici. His positis

Respondeo primò, posse absolutè loquendo perfectionem habitam, amitti, per peccatũ mortale in hac vita. Probatur primò, quia ita colligitur ex SS. Patribus, vt infra. Secundò, quia perfectio essentialiter & in recto, est Charitas Theologica, vt vidimus: sed Charitas Theolog: viæ (non enim loquimur de Charitate Theolo: patriæ) in quocunq; gradu intensionis, imo in quocunq; statu, nisi adsit peculiare donum Dei, nimirum confirmatio in gratia, quam non includit in se perfectio, nec ei debetur; potest absolutè amitti in hac vita, vt docēt Scholast: cũS. Tho:2. 2.q 23. & in hoc distingunt Charitatem Theolog: patriæ, à quacunq; Charitate viæ, quod illa amitti & remitti non possit; hæc possit: ergo & perfectio; sublata enim parte essentiali alicuius totius metaphisici, necesse est & ipsum tolli, vt notum est ex Philosophia. Tertiò, de facto constat aliquos perfectos amisisse perfectionem, vt Salomonem, qui peculiari modo amicus Dei appellatus est, 2. Reg:12. Nicolaum de quo in Actis Apost: c. 6. qui inter primos & feruentiores discipulos, Diaconus fuerat constitutus: Origenem quoq; sapientiæ Magistrum, omnis ante virtutis exemplar, & summo desiderio martirij flagrantem, Tertullianum: & nostro

ſæculo Ochium, hominem religioſum & obſeruantem, qui tandem etiam ad caſtra hæreticorum profugit, & plures alios, qui vt ait S. Ioan: Apocal: 12. fixi velut aſtra in cælis videbantur, decuſſi ſunt ac præcipites dati ab impetu ferientis caudæ draconis. Quartò: omnibus etiam perfectis dicitur ab Apoſtolo, 1. Cor: 10. *Qui ſe existimat ſtare, videat ne cadat*: loquitur autem de caſu, qui eſt per peccatũ mortale, vt patet ex antecedentibus & conſequentibus: poſſunt igitur & perfecti cadere, ac proinde perfectionem amittere; quæ cum peccato mortali non poteſt ſimul ſtare, vt vidimus cap: 30. Quintò. *Si S. Paulus*, vt inquit S. Bernardus, probans hoc quod intendimus, Serm: 3. ſuper, *Qui habitat*, &c. *licet fuerit perfectus, verebatur tamen, ne fortè cum alijs prædicáſſet, ipſe reprobus efficeretur*; 1. Corinth: 9. *& non fallebatur ille in hac re: Cur non idem quoq; quicunq; perfectus timere debet? Timendum eſt autem hoc*, vt inquit idem S. Bern: *tam diu, donec laqueus conteratur*; id eſt, donec corpus iſtud animam depoſuerit; corpus enim laqueus eſt, vt vid: cap: 37. Huc ſeruit & illud, quod S. Proſper de vita contemplat: lib: 1. c. 9. ait: *Quantálibet quis excellentiâ ſanctitatis emineat, quantálibet eminentiâ perfectionis excellat: poteſt quidem fieri pro modulo huius vitæ perfectus; ſed non eſt ſic de ſua perfectione ſecurus, vt non debeat eſſe de caſu ſollicitus.* Sextò. Adeptis perfectionem, non eſt decreta perſeuerantia in finem: vnde enim hoc habetur?

& certè cum metu & tremore omnes iubemur seu monemur ab Apostolo, *1. Petr. 1.* salutem nostram operari: perseuerantiæ quoq; donum, nemo ex iustitia mereri potest, sed gratuito à Deo, & ex auxilio gratiæ ipsius habetur, cùm habetur: nemini enim illud Deus promisit, certum aliquod opus facienti, imò nec pluribus operibus hominis, aut omnibus in præmium respondet. Est enim hoc donum non res aliqua vna, sed tota series auxiliorum, quæ homini à Deo conferuntur vsq; in finem, idq; varijs temporibus, locis & occasionibus: quæ sanè collectio congesta sub meritum condigni, vt vocant Scholast: cadere non potest, neq; eam homo ex iustitia mereri. Pulchrè S. Aug: lib: de bono, vel dono perseuerantiæ, c. 17. *Restat*, ait, *in his bonis* (id est, in bonis operibus, quæ aliquis homo iustus & gratus Deo operatur) *vsq; in finem perseuerantia, quæ frustra à Domino quotidie poscitur, si nõ eam per gratiam suam in illo, cuius orationes exaudit, operatur.* Idem indicat S. Tho: 2. 2. q. 137. a. 4. vbi hanc perseuerantiam, de qua loquimur, explicat, per actum durantem vsque ad mortem; *& secundùm hoc*, inquit, *homo, non solùm indiget gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio, conseruantis hominem in bono, vsq; ad finem vitæ, quia cùm liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc non tollatur ei per gratiam habitualem præsentis vitæ*, (addo ego, neq; tolli per adoptionem perfectionis, vt per se patet) *non subest potestati liberi arbitrij, etiam per*

am per

am per gratiam reparati, (addo ego, etiam per perfectionem roborati) *vt se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate eius, quod hoc eligat, plerumq; enim est in nostra potestate electio, sed non executio.* Hæc ille. Diabolus quoq; non solum multum semper, sed vt ait S. Bern: ep: 32. soli perseuerantiæ insidiatur, quam solam virtutem nouit coronari. Potest igitur homo (vt tandem ratiocinationem concludamus) amittere in hac vita perfectionem. Dixi paulò ante, Perseuerantiam hanc de qua loquimur; nam est & altera perseuerantia, quæ non spectat ad præsens, & propriè virtus, seu habitus cuiusdam virtutis, quæ est pars fortitudinis in appetitu irascibili sedem habens: propterea quod fortitudinem imitatur in superãda difficultate diuturnitatis, quæ reperiri potest in quacunq; actione, moderans timorem defatigationis, aut defectionis virium, quibus obnoxia potest esse actio virtutis, si in longum protrahatur. Sic autem hanc perseuerantiam describit Tullius lib: 2. de Inuent. & S. Aug: lib: 83. qq. q. 31. *Est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio.*

Respondeo secundò. Loquendo extrà modum absolutum, de quo præcedenti responsione, posse dici quoad alium modum, non posse perfectionem amitti in hac vita; eo quòd hoc non fiat ordinariè, nec sine magna valde difficultate. Probatur, quia in homine habente perfectionẽ, vt vidimus sublata est inordinatio cu-

piditatis & passionum, vitia etiam extirpata, nullumq; est impedimentum ad bonum, quod à corpore mortali fieri potest: ille verò etiam peccata venialia, non committit, nisi ex imperfecta aduertentia; & deniq; omnium virtutum subsidia habet; quæ omnia indicant, ordinariè, nec sine magna difficultate, non amitti perfectionem, &c.

CAPVT XLVII.

Quis est finis Perfectionis.

RESpondeo primò. Deum Optimum Maximum esse per se, & vltimum finem Perfectionis. 1. Quia perfectio est res creata & condita à Deo, vt clarum est ex dictis; necessariò ergò debet habere ipsum tanquam finem per se & vltimum. Indicat hoc Sapiens, *Prou:16.* dicens: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* 2. Quia perfectio est peculiaris quidam amor, quo amamus Deum propter se, vt vidimus; tendit igitur illa in Deum, & peculiari modo ordinatur ad ipsum, tanquam in finem, cui etiam perfectè vnit hominem, scilicet tanquam fini suo. Qui enim manet in Charitate, multò autem magis, si perfectè manet, quod fit per perfectionem, in Deo manet, & Deus in eo; vt testatur dilectus Apostolus Christi, Ioannes, 1. Epist: c. 2. Est præterea perfectio cursus quidam, vt vidimus supra, cuius terminus

est Deus; per hanc enim maxime accedimus ad eum. Est etiam ædificium spirituale, cuius quoque finis Deus. *Omnis enim ædificatio constructa, crescit in templum sanctum*, vt ait Apostolus ad Eph: 2. hoc est, in templum Deo habitatore dignum. Deniq; est ascensio, sen scala quædam, cuius figura erat scala illa Iacob, per quam ille cœlum versùs, conscendentes Angelos vidit, *Genes*: 28. in cuius summo fastigio Deus apparebat, vt scilicet indicaretur nobis, perfectionis, per quã perfectissimè ad Deum conscendimus, finem esse Deum. 3. Omnium actionum nostrarum Deus est per se, & vltimus finis, quandoquidem ipsius etiam hominis est finis, vt deducunt Theologi, etiam ex illo dicto Apostoli, *Actor*: 17. Homines scilicet à Deo positos in mundo, vt quærant Deum, *si fortè attrectent eum.* Ad hoc ipsum etiam indicandum, asserũt ijdem Theologi, Apostolum docuisse, & exhortatum esse nos, *1. Cor*: *10.* vt siue comedamus, siue bibamus, siue aliquid aliud agamus, omnia in gloriam Dei faciamus. Erit igitur Deus per se, & vltimus finis, & habituum seu principiorum, à quibus huiusmodi actiones nostræ procedunt, ac proinde & perfectionis, quæ est habitus, seu principium, à quo perfecta actio, nimirum actualis amor Dei, excludens omnem inordinationem, promanat, vt patet ex dictis supra.

Respondeo secundò. Homo quicunque, perfectionis quam acquirit seu acquisiuit, est fi-

nis Cui:

nis Cui: hic enim nihil aliud est, quam persona cui desideratur bonum, perfectionem autem homo vult & quærit, tanquam bonum sibi propter se, tanquam propter finem Cui, ac eadem actione qua vult sibi & amat perfectionem, amat seipsum quoque, ac proinde ipse est finis Cui perfectionis.

Respondeo tertiò. Nulla res creata consequenda in hac vita, est finis cuius gratia perfectionis. Perfectio enim vt vidimus, est finis vltimus cuius gratia, consequendus in hac vita: & non expetitur illa per se propter aliud, tanquam finem consequendum in hac vita: quid enim est illud?

Respondeo quartò. Beatitudinem futuram patriæ, seu vitam æternam, esse per se vltimum finem cuius gratia perfectionis, consequēdum in altera vita: & finem propriè, sed extrinsecum. Probatur primò: quia interrogationem factam Quare, seu propter quid quærimus & attendimus perfectioni in hac vita, benè dissoluimus, tanquam per causam finalem, per beatitudinem futuram patriæ, vt scilicet eam consequamur: verè enim gratia illius, perfectioni quærendæ insistimus. Est igitur beatitudo patriæ finis cuius gratia perfectionis. Quæ consequentia, colligitur ex Philosopho 2. Physic: à textu 75. & ex 1. de part: c.1. propter quid enim petit causam, & in nostro proposito nonnisi finalem. Secundò: vidimus c. 25. beatitudinem

patriæ,

patriæ, peculiari modo, id est maiorem ac intensiorem, esse præmium perfectionis in altera vita: quod etiam ex ijs verbis Script: Matt: 5. *Si vis perfectus esse,*&c. *& habebis thesaurum in cœlo*: colligitur. Est ergo eadem beatitudo finis perfectionis; præmium enim alicuius rei, est finis eiusdem, sed finis extrinsecus, quia scilicet non immediatè per illam ipsam rem, tanquam actionem, sed mediâ aliâ actione, acquiritur & possidetur.

CAPVT XLVIII.

An ij iusti, qui Perfectionem non sunt consecuti in hac vita, eam habituri sint in altera.

RESpondeo primò, Iustos, qui decedunt ex hac vita cum perfectione, habituros eandem specie, etiam in Patria. Ratio est, quia nulla est causa, cur non maneat in illis: quandoquidem nullam imperfectionem inuoluit in se: nec Sacra Scriptura aut SS. Patres, vel leuiter indicant tollendam esse in altera vita: & certè tota definitio perfectionis huius vitæ, conuenit charitati in patria. Indiuidualiter ergo solùm erit diuersa, quia erit in subiecto immortali, ac beato, & excludet omne peccatũ veniale. quanquam hoc vltimum ptiuilegium, non defuit etiam perfectioni in hac vita Beatissimæ Virgini, vt docet Conc: Mileuit: c. 6. 7. & 8. & Trid. Sess: 6. c. 11. & can: 23.

Respondeo secundò. Illi qui decedunt ex hac vita in gratia Dei, non acquisita perfectione, nihilominùs habituri sunt eam in patria. Ratio est, quia habebunt ibi Charitatem Theologicam in tali statu, quæ excludet omne peccatũ, & omnem inordinattionem cupiditatis ac passionum, nec deerunt illi virtutes omnes, imo in perfecto gradu. Habebunt ergo perfectionem huius vitæ, eandem essentialiter (hæc enim est definitio perfectionis) diuersam verò in ratione indiuiduali, vt paulò ante vidimus.

CAPVT XLIX.

Imprudenter agunt, qui studium Perfectionis procurandæ in senectutem reijciunt.

SVnt non pauci, qui quamuis à studio procurandæ perfectionis non abhorreant, nihilominus illud, decepti à dæmone, vel ab amore proprio, in decliuem ætatem reijciunt: hos igitur non solùm improuidè, verùm & stultè agere ostendam in præsenti. Primò quidem: quia homines attritæ valetudinis, & minus sani in corpore, vix idonei sunt ad perfectionem. nam ad eam obtinendam, imò & quærendam, non sufficit patienter tantùm ferre multa aduersa; sed necesse est plurima agere difficilia, & vim sibi, & naturæ suæ repugnanti facere: quæ quomodo præstabit semper infirmus? Ergo pari ratione & senex. Est enim senectus morbus, &

quidem continuus, imo malorum omnium congeries, in qua plus de sanitate corporis conseruanda, quàm de animi integritate, cogitatur. Secundò: quia ad perfectionem acquirendam opus est viribus etiam animi, opus alacritate, quibus desideratis, vti desiderantur in senili ætate, mens nostra necesse est vincatur à difficultatibus, ac proinde à via perfectionis recedat. Tertiò: in senectute sensus hominis & instrumenta mouendi sensim debilitantur, planeq; deficiunt: hoc verò incommodum est quærendæ perfectioni. Quartò: quia hoc tempus, in quod studium perfectionis differtur, non est in potestate eorum, qui hac se inani spe lactare consueuerunt. Quintò: auxilia Dei necessaria ad obtinendam perfectionem, non tenentur nos expectare; sed quæ parata modò erant, & cælitus oblata, quia noluimus illis vti, reuertentur ad suum authorem, id est Deum, à quo data erant. Sextò: monet Eccl: c. 12. vt memores simus Creatoris nostri, *in die iuuentutis nostræ*, quasi vellet dicere, periculum esse, ne quoq; in senectute nostra obliuiscamur. Multò igitur veriùs hoc dici poterit de perfectione: memores nos esse oportere illius in iuuentute nostra, faciendo scilicet ea, per quæ ad ipsam perfectionem peruenitur. & c. 9. sic idem ait: *Quodcunq; potest facere manus tua instanter operare.* Cur enim hoc de perfectione etiam intelligi non debeat? Septimò: Viri etiã eximiæ sanctitatis, vix idonei sunt,

nei ſunt, vt extremis temporibus, de morte, de iudicio particulari, de ſententia irreuocabili, de vita præterita, de futura æterna, cogitent; quantò igitur magis imperfectus in ſenectute non poterit attendere ſtudio difficili perfectionis: vt proinde, vel ex hoc ſolo capite, ipſum, in tempus tam incertum, & tot circumſeſſum moleſtijs, non ſit differendum. Octauò: qui reijcit ſtudium perfectionis in ſenectutem, impoſſibile eſt, vt non admittat interim multos defectus, & conſequenter malos habitus altiores in ſe radices agere permittat, & hoc ipſo difficillimam ſibi, & magis aſperam viam ac ſtudium perfectionis efficiat, quæ ſane imprudentia eſt & ſtultitia.

CAPVT L.

Studium ac exercitium Orationis valde frequens, & quaſi continuum, neceſſarium eſt illi, qui cupit Perfectionem conſequi.

NOmine Orationis, non intelligitur hîc preſſè ſumpta Oratio, nimirum decentium bonorum, petitio à Deo, vt eam accipiunt Scholaſt: & SS. Patres, cùm propriè loquuntur; quo pacto dixit S. Greg: Niſſ. Orat: 2. de Orat: Domin: *Oratio nihil aliud eſt, quàm bonorum petitio, quæ ad Deum effunditur*: quod etiam commune vulgus ſentit de Oratione, nec eam

ad alia se extendere opinatur. Sic namq; acceptam Orationem, necessariam esse ad acquirendam perfectionem, vidimus c. 28. & per se adeò clarum est, vt non egeat probatione. Latiùs ergo & generaliùs accipitur Oratio, videlicet pro qualibet actione, per quam mens eleuatur in Deum, per cogitationem, laudem, gratiarũ actionem, & confessionem peccatorum, quo pacto eam accipit Ecclesia, SS. Patres, & Scholastici; quod significauit & S. Damas: lib: 3. de fide, c. 24. cùm dixit: *Oratio est ascensus mentis in Deum, aut decentium bonorum petitio.* Intelligitur verò, tam vocalis Oratio, colloquium scilicet quod fit cum Deo, verbis & voce expressum; quàm mentalis, quæ memoriæ, intellectûs & volũtatis functione perficitur; seu quæ est ascẽsus mentis ad Deum, sine verborum strepitu. Potissimùm autem intelligitur Meditatio, id est consideratio, qua Deum & res reuelatas cõsideramus, & inde vitam ad virtutum normam instituimus: seu, quod idem est, intelligitur attenta ac sollicita mentis nostræ disquisitio, cunctanter procedens, & vtiliter inquirens, vt inde cultum Deo exhibeamus, affectus moueamus, & vitam nostram salubriter mutemus ac emendemus, & denique perfectionem assequamur: hi enim debent esse fines nostræ Meditationis, sine quibus illa inualida est & inutilis. De qua re plura, & maximè variæ eius definitiones ex SS. Patribus, & Scholast: videri pos-

sunt apud Alu: tom: 3. p. 3. lib: 1. c. 11. & lib: 2. p. 1. c. 5. Huius igitur Orationis, studium ac exercitium, necessarium esse cupienti acquirere perfectionem, ostendendum est in præsentia.

Primò quidem, quia vita spiritualis, qua viri spirituales viuunt (nomine cuius non intelligitur gratia sanctificans seu iustificans; sed supposita hac gratia, bonorum operum exercitatio, qua Deo propter Deum famulamur) sine qua perfectio non habetur, vt vid: supra, non potest ali, nec conseruari sine eo modo acceptâ Oratione. Est enim hæc Oratio, quodammodo hepar spirituale, quod conficit sanguinem spiritualem, & eum per totam animam, eiusque facultates, potentias ac virtutes distribuit. Nõ solùm enim illa masticat diuina pabula, ac virtutum exercitia, sed & coquit ea calore Charitatis, ac singulis virtutum habitibus, alimentũ, incrementiq; occasionem porrigit. Quare spirituales esse non possunt, nisi nomine, eoque indigni, qui res diuinas non ruminant, de ijs sedulò cum Deo non conferũt, & verò nunquam cogitant. Indicat hoc inter alios Caet: 2. 2. q. 82. a. 2. vbi sic dicit: *Non solum non est hic Religiosus, sed nec spiritualis vir, qui saltem semel in die, in recogitandis rebus spiritualibus se non occupat.* Ex defectu huiusmodi Orationis, sequitur mala concoctio, nulla nutritio, peruersus habitus, ac animi desperatio: nam non venit vt decet in mentem, quid Deo, quid hominibus, quid nobis

ipsis debeamus, in quo deficiamus, qua igitur ratione ad virtutẽ excitabimur, quomodo proficiemus, nisi beneficio seu exercitio meditationis? quo neglecto Religiosum præsertim, in peccatorum grauium, abire deuia, & lęthalium criminum præcipitia deferri, est penè necessarium. Nihil ergo sic vitam spiritualem consolidat, nihil ita stabilit, ac corroborat, sicut pia ac feruens rerum diuinarum meditatio, quæ nobis defectus nostros ostendit ac obijcit, obligationem erga Deum exponit, desideria rerum æternarum conciliat, fœditatem peccati detegit, & ad viuum depingit, virtutis pulchritudinem repræsentat; deniq; vitiorum omnium fibras, suadet esse euellendas; Dei Charitatem ac amorem virtutum inserendum, & assiduo labore augendum ac perficiendum, quæ omnia ad acquirendam petfectionẽ plurimum cõducunt.

Secundò: Auxilia gratiæ diuinæ, & quidẽ plurima, ac quasi continua, necessaria sunt ex varijs capitibus ad acquirendam perfectionem, vt demonstratum est c. 17. Hæc autem facilè habentur mediâ hac Oratione. S. Aug: de Eccl: dogm: c. 16. loquens de salute vitæ æternæ, sic pronunciat de orante, & consequenter de Oratione absolutè sumpta: *Nullum,* inquit, *credimus ad salutem, nisi Deo inuitante, venire: nullum inuitatũ salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: nullum nisi orantem, auxilium promereri.* Veriùs ego id affirmabo de Meditatione, & Perfectione: Nemi-

nem nisi meditantem promereri auxilium, quo acquirat perfectionem. Sed & ratio conuincit hoc ipsum, nimirum auxilia diuinæ gratiæ necessaria ad consequendam perfectionem, facile haberi beneficio Meditationis. Vbi enim meliùs innotescit nobis, necessitas horum auxiliorum, quàm in meditatione? vbi faciliùs efficax desiderium habendi eadem, & petendi à Deo, accenditur? deniq; vbi homo meliùs ad gratias Deo referendas, & obtinenda auxilia disponitur, quàm in hac cælestiũ rerũ contemplatione?

Tertiò: Necessaria est ad acquirendam perfectionem, valde frequens, & quasi continua, lux cælestis supernaturalis in anima nostra; id est, peculiaris quædam Dei gratia, quæ illustret ac purificet mentem nostram, & voluntatẽ accendat, roboret & lætificet, tam circa impedimẽta perfectionis, quàm circa media, & ipsam tandem perfectionem; vt omnia scilicet hæc, & perfectè cognoscamus ac penetremus, & efficaciter velimus, impedimenta quidem tollere, media verò adhibere, ipsam deniq; perfectionẽ quærere. Necessitatem huius gratiæ illustrantis & accendentis, indicat S. Script: Psal: 17. vbi sic regius vates Deum compellat: *Quoniam tu Domine illuminas*, scilicet per gratiam tuam illuminantem, *lucernam meam*; id est, oculum meum interiorem, mentem scilicet, in qua tenebræ essent magnæ, tã circa res supernaturales, quàm circa bona opera, tentationes ac peccata, in quæ

ſine hoc lumine diuino, præceps ruerem. Quis enim, quæſo, ſine hac luce, vt vnum ſolùm ex multis attingam, cognoſceret, & euaderet, laqueos variarum tentationum, quos ad perfectionem anhelantibus, infernalis auceps ac prædo, & inimicus homo doloſè in hac via occulit, vt prædam tanto faciat lautiorem? Quibus pedicis ſi via communis, lata, plana, nimirum via iuſtitiæ, ſeu mandatorum Dei, pertexta eſt: quid dicemus de prærupta & aſpera ſemita perfectionis? pertextam autem eſſe, luculentè Propheta Dauid teſtatur, Pſal: 141. *In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*; vt ſcilicet tranſgrediar mandata tua. Pſalterium Ambroſianum legit; *Superbi abſconderunt*: quod verbum in ſimili ſententia Prophetæ, Pſal: 139. reperitur; vt intelligamus dæmones potiſſimùm eſſe, qui hos laqueos ſtruunt; illi enim ſunt antonomaſticè ſuperbi, cuius rationem reddit Card: Bellar: ſuper eundem Pſalmum. Romanum Pſalterium, necnon Ambroſianum, & Caſſiodorus, pluraliter habent, *laqueos*: plurimos enim laqueos ponunt illi, probis hominibus, iuxta cuiuſq; conditionem, ſtatum, viuendi rationem, inclinationes, & conſuetudinem. Sed indicat hoc & Sapiens, Eccl: 9. *Ignoras*, inquit, *quia in medio laqueorum ingrederis?* Explicat hos multiplices abſconditos laqueos, Hugo; Hypocriſim, in via ſcilicet continentiæ; inanē gloriam, in via macerationis carnis; ſeuerita-

 tem, in

tem, in via iustitiæ; falsam pietatem, in via misericordiæ; astutiam, in via prudentiæ; prodigalitatem, in via largitatis; carnalem affectionem, in via Charitatis; præsumptionem, in via spei; desperationem, in via timoris; furorem, in via zeli; præcipitationem, in via audaciæ; pigritiam, in via consilij; obstinationem, in via constantiæ; curiosam perscrutationem, in via sapientiæ. Sunt & alij laquei innumeri, ac propterea S. Antonius plenum laqueis mũdum vidit; & quærenti, quis videbit eos, & euadet? responsum, humilitatis præditũ virtute: talis enim accipiet lucem de cœlo. S. Ambr: docens omnia in hoc mũdo plena esse laqueorum, citans præsentem locum Psalmi, sic ait de bono mortis, c. 6. *Ideo tu*, inquit, *illam viam ambula, quæ dicit*, *Ioan*: 14. *Ego sum via*; id est, recurre ad eam vt dicas: *Animam meam conuertit, deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum*; id est, propter seipsum. Proculdubiò igitur ijdem hostes, multo plures, magisq; occultos ac absconditos tendent laqueos in via angusta, non trita ac difficili, nimirum in via perfectionis: quandoquidem maiori odio illam, quàm viam mandatorum prosequuntur; sunt enim maximi hostes sanctitatis, Charitatis maximè perfectæ, puritatis omnimodæ, & virtutum omnium; quæ omnia sinu suo perfectio complectitur. Sciunt etiam, quod qui decurrerit viam perfectionis, sibi quidem magnam laudem, honorem & præmium, apud

Deum & cælites, comparabit & promerebitur: illis verò magnum dedecus, infamiam, confusionem, & dolorem pariet. Vt autem sciremus hanc gratiam illustrantem, non solum illuminare intellectum nostrum circa illa omnia quæ vidimus; sed & voluntatem accendere & roborare, ad vincendas scilicet tentationes dæmonum, ad resistendum omnibus impedimentis, quæ nos impediunt in via salutis & perfectionis, & ad tollenda ea, deniq; ad adhibenda media, quibus salus & perfectio acquiritur; addidit statim Propheta in Psal: illo 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum:* id est, fretus hac gratia & auxilio tuo, quod illuminat me, & fortem facit; superabo omnes tentationes & difficultates, & omnia potero, quantumuis difficilia, quale esset altissimum murum transcendere. Lux ergo cælestis supernaturalis, vt tandem hanc rationem concludamus, necessaria est ad ambulādam & decurrendam viam perfectionis. Hac autem luce, vbi faciliùs & citiùs perfūditur anima nostra, quàm in meditatione? vt vel experientia ipsa attestatur. Pulchrè hoc indicauit Richar: Vict: c. 5. in Cant: exponens quosdam effectus huius lucis, quæ media meditatione accipitur: *Hac*, inquit, *gratiâ illustrata anima, incipit tenebras cordis sui videre, seipsam cognoscere, discernere qualiter se vitia sub spetie virtutum occultent, vel se illis occultè socient. Oritur enim in mente nostra noua dies, post no-*

ctem ignorantiæ, & fit diluculum, quo surgit ad offerendum holocaustum contritionis, pro singulis virtutibus, ne fortasse fuerint imperfectæ, vel minus puræ, & ad concremandum, quidquid in illis admixtum fuerit carnale. Et Hugo lib: de tribus dictis circa finem: *Quid nobiscum, cùm de diuino internæ contemplationis secreto reuertimur, adferre poterimus, nisi lucem de regione lucis venientes portamus?* Hoc enim decens & necessarium est. Deniq; legimus *Deut*: 34. Moysis faciem, ex consortio sermonis Dei in monte Sinai, splendidā totam apparuisse, propter splendorem internum quem acceperat; vt intelligamus mediante Oratione illum haberi, ac comparari; quod etiam indicauit Propheta dicens, Psal: 33. *Accedite ad eum*, scilicet ad Deum, *& illuminabimini*; id est, percipietis lumen. In Hebræo, pro *Accedite*, est, *Respicite in Deum*, scilicet oculis interioribus, per Orationem & fidem; talibus enim solum ille videtur.

Quartò: Cupienti perfectionem assequi, eliminanda sunt & cauenda peccata, extirpanda vitia, deniq; inordinatio cupiditatis & passionum tollenda, vt supra ostendimus. Ad hæc autem præstanda plurimùm confert, & præstātissimum est remedium, meditatio. *Si Oratio*, inquit S. Greg: Niss: lib: de Orat: *præcesserit negotium, peccatum aduersus animam aditum non inueniet.* Vnus ex SS. Eremitis, vt refert Theodor: in hist: Relig: dicere solebat, Orationem esse vniuersalem medicinam, pro omnibus nostris ma-

lis, &

lis, & efficacem. Medici solent vti diuersis medicinis, pro diuersis infirmitatibus corporis: sed Christiana vna est, nimirum Oratio. Affirmat hoc & S. Chrysost: lib: 1. de orando Deum. & B. Laur: Iustin: in ligno vitæ, tr: de Oratione, c. 2. vbi sic loquitur de Oratione absolutè sumpta: *Hæc spirituales morbos sanat, hæc est potissimum remedium eius, qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quotiescunq; quolibet tangitur vitio, toties se ad Orationem vertat, quia frequens Oratio, vitiorum expugnationem extinguit. Et sicut aqua ignis extinguitur, ita concupiscentiarum vitiosarum impetus, Oratione superatur.* S. Bern: quoq; lib: 2. de consid: c. 3. affirmat: Eum qui considerationi vacat, quam meditatio complectitur, Deo iuuante quodlibet peccatum fugere, pœnitentias complecti, Charitatemq; Dei toto pectore tueri. Denique quod magis mirandum est, docet hoc ipsum Seneca, lib: 2. de ira, c. 12. *Nihil,* inquit, *est tam difficile & ardunm, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assiduâ meditatione, & attentâ ac sollicitâ mentis disquisitione. Neq; sunt vlli tam feri affectus, & sui iuris, vt disciplina non perdomentur:* quod etiam probat exemplis. Sciendum autem est, meditationem non vno modo hoc quod diximus, præstare. Agit enim id inprimis deprehendendo & detegendo vilitatem, malitiam & fœditatem, peccatorum, vitiorum, cupiditatis, ac passionum: manifestando item damna & incommoda, quæ ex istis omnibus oriuntur:

hinc verò auersio & odium erga prædicta in voluntate nostra exoriatur necesse est, ita vt si velit, adiuuante ad hoc ipsum gratia Dei, & meditatione, possit illa deserere. Inter alia enim hoc est discrimen ægritudinum corporis, animæque, quod illæ nolentibus nobis adueniunt, & durant; istæ verò sine voluntate nostra, nec accedunt, nec perseuerant. Nonnisi enim volens homo peccato fœdatur, & infectus eo, sola voluntate in eodem persistit. Modus etiam voluntatis nostræ is est, vt nonnisi cognita bona diligat, & cognita mala respuat. Indicat hūc primum modū, quo medetur malis nostris meditatio, S. Greg: lib: 2. Mor: c.7. vbi propterea comparat meditationem speculo, seu aspectui speculi: *Speculi*, inquit, *aspectus, ad id seruit, vt homo visam maculam abstergat; igitur & passiones suas prauas homo compescet, cùm earum turpitudinem viderit; talis enim aspectus*, id est meditatio, *non tantùm ostendit intellectui malum passionum, sed & inflammat voluntatem ad tollendum illud.* Altero modo confert meditatio ad medendum prædictis animæ ægritudinibus, postulando videlicet à Deo, tum veniam de his morbis, tum opem contra illos. Tertio tandem facit hoc, erigendo scilicet animam nostram, & aduersus prædictas ægritudines muniendo, tum cessatione ab his actibus, quibus illæ ægritudines augentur & conseruantur; tum exercitatione actuum virtutum contrariarum. Inclinat enim meditatio ad vtrumq; horum

horum, & impellit ad affectus & actiones virtutum, facitq; vt mens nostra eliciat constantissima proposita fugiendi de cætero actus vitiorum, & contrarios illis exercendi: pro actibus v. g. superbiæ, actus humilitatis; pro actibus iracundiæ, actus mansuetudinis: & sic de cæteris. Nam sicut malæ cogitationes, quod notum est experientiâ, inclinant ac impellunt voluntatem, & promptam reddunt ad malum opus, & actum vitiosum; ita bonæ, quas meditatio complectitur, ad bonum opus & virtutum, extimulant atq; accendunt. Ad hæc quæ hactenus dixi in hac ratione, spectare videtur illud S. Pauli, 1. Tim: 4. *Exerce autem teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est.* Vbi nomine pietatis, teste S. Aug: ibidem, intelligit cultum Dei, quem Oratione Deo tribuimus. Nomine verò corporalis exercitationis, significat, docente S. Ansel: ibidem, mortificationem exteriorem corporis, quæ fit vigilijs, ieiunijs, &c. Vult ergo Apostolus, parum esse vtilem hanc mortificationem, ad tollenda peccata, vitia, &c. si cōferatur cum magna vtilitate, quam ad eadem extirpanda confert meditatio. Concludo: Angelo descendente in piscinam, aquamq; mouēte, tribuebatur illi virtus, inquit S. Ioan: c. 5. vt ægrotos quosuis sanaret. Sic cùm inspiratio sancta Oratione concepta, cor hominis omni aquâ mobilius tangit, ô quàm efficaciter, quas-

uis ægri-

uis ægritudines, ac imbecillitates nostras tollit, atq; persanat.

Quintò, necessaria est quoq; virtutum acquisitio ad consecutionem perfectionis; nihil autem meliùs & efficaciùs, inserit, conseruat & auget virtutes omnes, quàm Oratio. Deducitur hoc ex præcedenti ratione: & clarè docetur à S. Chrysost: l. c. libro verò secundò ita loquitur: *Sicut Regina vbi ingreditur ciuitatem, necesse est vt omnis opulentia sequatur: ita posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur.* Rectè profectò: nam meditationi vniuersæ virtutes iunguntur, vt quædam illam comitentur, quædam sequantur, aliæ præcedant. Eiusdē sententiæ est & Clim: grad: 19. vbi postquam dixit, Orationem indicare profectum in virtutibus, & in Charitate, subiunxit: *Diuitias agricolæ ex area & torculari congregant; Monachi verò suas opes & scientiam, vespertinis maximè, nocturnisq́; Orationibus, & animi exercitationibus, colligunt.* Et S. Hieron: ad Celant: *Magnum adiumentum est ad iustitiam*, id est ad omnem virtutem, *implere diuinis eloquijs animum, & quod opere exequi cupias, corde meditari.* Deniq; Ricar: lib: 1. de contempl: c. 1. *Nihil sic cor ab omni mundano amore emundat, nihil sic animum ad virtutem & cælestem amorem inflammat, atq; Oratio*, id est Meditatio, (de hac enim apertè loquitur) *ipsa est*, inquit, *quæ emundat, ipsa quæ sanctificat, &c.* Moysis facies tota splendida effecta fuit, ex familiaritate cum Deo; quo significa-

gnificatur nobis, Orationem conferre nobis vim, ad bona exempla proximis danda, & ad actus virtutum eliciendos, qui splẽdore illo designantur; vt etiam dicit Christus Dominus, Matth: 5. *Sic luceat lux vestra, vt homines, &c.* Meditatio, pia scilicet & feruens, magis arcte hominem Deo deuincit, & præter diuinæ opis D. Thoma referente, quod impetrat, subsidium, ardentiores amoris diuini flammas elicit, & feruentiores actus virtutum educit. Hoc autem quod diximus, præstat Oratio triplici modo: Primò, deprehendendo & detegendo nobilitatem, dignitatem, necessitatem, & vtilitatem virtutis; vt patet ex dictis paulò ante in præcedenti ratione, & ex superiori capite. Secundò, dando occasionem, optandi virtutes, & exercendi actus illarum, in ipsamet Oratione, modo vnius, modo alterius. Iustus enim positus in meditatione, nunc ex suæ vilitatis consideratione deijcitur per humilitatem; nunc ex notitia diuinæ miserationis, per spem, in certissimã futuræ retributionis expectationem erigitur; nunc ex consideratione infinitæ pulchritudinis, & bonitatis diuinæ ardentissimo amore inflammantur; nunc ex consideratione æquissimæ iustitiæ eiusdem, mouetur, terretur, ac incitatur, ad obseruationem mandatorum ab eo datorum. Et sic de alijs. Tertiò, mouendo omnia alia instrumenta virtutum, quæ vid: cap: præced. Et hac de causa, vocatur Meditatio,

omnium

omnium bonorum spiritualium origo.

Sexto: Magnus labor subeundus est, in quærenda & acquirenda perfectione, & sudandum est nobis, vt notum est ex dictis supra. Oratio autem promptum & alacrem reddit hominem, ad omnem huiusmodi laborem: nam deuotionem, quæ est promptitudo voluntatis ac facilitas, ad ea quæ sunt obsequij Dei, inter quæ præcipuum locum perfectio tenet, causat Oratio, vt expressè affirmat S. Tho: 2. 2. q. 82. a. 3. *Deuotio*, inquit, *Oratione ac meditatione generatur*: quod ille accepit ex S. Aug: lib: Medit: c. 8. qui sic ait: *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio commendat Orationem*; scilicet tanquam illam à qua causatur: & ipsa vicissim ad eandem nos vrget. Richar: verò Victor: lib: 1. de erudit: hominis, sic de eadem re scripsit: *Scimus, quia intimè & deuotè nunquam mens nostra orat; quæ se ad deuotionem studiosis præmeditationibus priùs non excitat: hi sunt enim veræ deuotionis socij inseparabiles, circumspectæ, discretæ, & prouidæ cogitationes.* Est ergo secundum hunc Doctorem, Meditatio deuotionis excitatrix: ac proinde, meditatio reddit nos promptos & alacres ad omnes labores, qui in quærenda perfectione sunt subeundi.

Septimò. Viam perfectionis longam & difficilem, nulla ratione conficere valebimus, absq; fortitudine animi ad ambulandum, & ad tollenda impedimenta. Quare & ipse Dauid,

qui viam iustitiæ, id est mandatorum tantùm (quæ notior est, facilior, latior ac planior via, perfectionis) sine vllo errore, non solùm operis, sed & linguæ aut sermonis, iam aliquo tempore ambulauerat; nihilominus, quia sciebat, fortitudinem ad hoc necessariam esse, dicebat Deo rogans, Psal: 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis*: ac si diceret: Scio Domine hanc meam iustitiam, à tuo auxilio & gratia manasse, ac propterea nunc peto, vt firmes ac stabilias affectus ac vires animæ meæ, in semitis legis tuæ, ne pedes mei, vel tentatione seducti, vel laboribus ac difficultatibus delassati, viam rectam deserant, & ad obliquam ac horridam peccatorum præcipitijs per aspreta deflectant. Oratio autem tribuit robur hoc ad ambulandum, iterq; peragendum. Certe ipse etiam Saluator noster, oratione ad passionem se muniuit, vt ostenderet, Orationem esse instrumentum, quod confert fortitudinem, ad perferenda omnia mala, & difficilia peragenda. Et propterea S. Chrysostomus aptâ similitudine, Orationem neruis corporis similem esse dicebat, lib: 2. de Orat. *Iam verò inquit, si quis dicat, animæ neruos esse deprecationem, meâ quidem sententiâ, videbitur verum dicere; nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, stat, viuit, & compactum est, adeò vt si neruos incideris; vniuersam corporis harmoniam dissolueris: Itidem animæ per sanctas preces, sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt.* ex quibus

verbis

verbis Sancti, habetur etiam istud, hominem nequaquam in vita spirituali posse consistere sine Oratione, quod idem apertè inferius asseruit dicens : *Quod si teipsum* inquit, *destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris: vt enim piscis vita, est aqua* (id est causa vitæ) *ita tibi deprecatio.*

Octauò, ad ambulandam, & multò magis decurrendam viam perfectionis, præter lucem supernaturalem, de qua in tertia ratione, est etiam necessarius fidelis dux huius vitæ & practicus, qui manu ostendat semitas perfectionis, hoc est, non solùm doceat nos, media quibus certo peruenitur ad perfectionem, sed etiam efficaciter faciat, assumere nos eadem & adhibere. nam absq; tali duce impossibile est hanc viam ignotam, longam & difficilem sine errore ambulare & decurrere, quod fuse vidimus c. 27. Si enim S. Dauid, quamuis peritus fuisset semitarum iustitiæ, & illæ non essent adeò difficiles ad ambulandum, ac amaret eas toto corde, & *super aurum & topazion*, vt ipse affirmat Psal: 118. nihilominus existimauit necessarium sibi esse ductorem: & propterea obsecrabat Deum eodem Psalmo, vt illum duceret per illas semitas: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui*; quasi dicere vellet: Non satis est Domine, vt incedam per hanc viam mandatorum, quod mihi dederis, intellectum, fidem, ac lumen cæleste auxiliorum tuo-

rum lu-

rum supernaturalium, medijs quibus possim cognoscere & scrutari legem tuam, quod & sæpè feci: *Meditabar* enim *in mandatis tuis, & lex tua meditatio mea est*, imo *tota die*, sed necesse est, vt tuipse Dux mihi sis huius semitæ mandatorum tuorum, quam toto corde dilexi: id est necesse est vt tu ipse facias me implere mandata tua. Id enim significant hoc loco, hæc verba, *Incedere* & *deducere* per semitam mandatorum, vt annotauit Cardinalis Bellarm: eo loco. Pulchrè S. S. August: super illum locum Psal: Conc: 11. *Parum est mihi voluntas mea*; id est non sufficit ad hoc velle tantùm meum, *nisi in eo quod volui, ipse me deducas*, id est, adiuues & facias implere. Quãtò magis erit necessarius ductor in semita perfectionis, ignota, non trita ac difficili; qui volentem per eam tendere, ducat, dirigat, & faciat implere ea quæ ad decurrendam ipsam necessariò requiruntur. Oratio autem est hic dux fidelis, & practicus in via perfectionis. Illa nãq; perspicaciâ suâ, gressus voluntatis nostræ antecedit; illa an per auia ambulemus, an verò viam rectam & securam, teneamus, indicat; illa consideratione sua, vt vidimus, omnia impedimenta, pericula ac laqueos detegit: eadem desiderio suo obtinet nobis gratiam, tum contra hæc omnia, tum ad alia necessariam: instruit nos etiam illa ipsa quomodo hac gratia vti debeamus; & ad vtendum ea mouet: deniq; ipsa omnes deffectus ac obliquitates no-

strras vt eas emendemus ac rectificemus, clarè perspicueq; patefacit. Habet illa oculos plusquã lynceos ad hæc omnia animaduertenda & penetranda. Et sicut Moyses Num: 13 misit exploratores, qui terram promissam cognoscerẽt, & habitatorum mores ac potentiam, & deniq; impedimenta ingressus intelligerent: ita vir iustus ac flagrans desiderio perfectionis Orationem mittit exploratricem; quæ qualitates perfectionis ad quam tendit, inuestiget, & pericula, impedimenta, ac fortitudinem hostium, aut apertè irruentium, aut clam insidiantium, perspiciat ac manifestet.

Nono, indiget anima nostra cibo, ad peragendum iter perfectionis, ita vt merito illi, postquam ingressa hanc viam fuerit, inculcandum sit sæpè illud ipsum, quod ab Angelo dictum est Heliæ 3. Reg: 19. *Surge & comede, grandis enim tibi restat via.* Hic autem cibus potissimus est, & ordinarius Oratio, quæ dentibus animæ, id est viribus cogitationis & intelligentiæ teritur, & in ventrẽ affectûs traijcitur. & sic ea vires animæ reficiuntur, ac roborantur. Indicat hoc S. Aug: lib: de salutar: docum: c. 28 *Sicut* inquit *ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs, & Orationibus interior homo nutritur, & pascitur.* Hoc etiam indicare voluit S. Chrysost: cùm lib: 1. & 2. de orando Deum scripsit: *Quod sicut corpus, si non adsit anima, mortuum est ac fœtidum; sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, mi-*

sera &

fera & grauiter olens. Non enim ideo hæc dicit, quasi Oratio sit propriè vita animæ, (hæc enim est, Gratia, Charitas, & exercitatio virtutum, vt vidimus) sed quia est cibus animæ, sine quo illa diu vitam conseruare non poterit. Idem intellexit S. Greg: Nazianz: cùm dixit: Hominem non posse viuere sine meditatione rerum diuinarum, sicut sine respiratione. Clariùs S. Hieron: ad Florentiam: *Nosti hoc animæ Christianæ esse pabulum, si in lege Domini meditetur.* Contendentibus in agone, vt notat Cassia: lib: 4. de fornic: c. 7. quædam alimenta destinata erant, quibus expediti, ad cursum & pugnam reddentur, quæ Coliphia dicebantur: sic & in agone spirituali pugnantibus, cibus orationis destinatus est, quem qui frequenter edunt, ad ima deserenda, & cœlestia amplectenda, animantur & roborantur: qui verò non comedunt, concupiscentijs inordinatis, trahentibus huc illuc, ad decliuiora raptantur. Huius rei, quamuis in alio genere, Christus Dominus in semetipso, quasi quandam figuram nobis exhibuit: instante enim tempore passionis suæ, antequam oraſset, cœpit constristari & mestus esse; post Orationem verò, quasi refectus & recreatus hoc cibo suaui & robusto, promptus & lætus ad mortem properauit. Hanc ob causam S. Ambrosius Serm: 12. suadet Meditationem in tribulationibus, & tentationibus, *vt* inquit *intrepidi contra hæc simus & vincamus.* In languore igitur &

imbecillitate constituti, curramus ad hunc cibum: id est ad feruentem Orationem; & subito ex infirmis fortes, ex tepidis feruentes, beneficio illius reddemur, ac euademus.

Decimò, pugnandum nobis est in via perfectionis, cum dæmonibus, qui eam obsident, & conatus nostros, vel omnino impedire, vel saltem retardari contendunt. Nec vnus est ipsis ad præstandum id modus, sed mille nocendi ac impediendi artes, vt ait S. Cypr: de exhortat: Mart. omniaq; gratia tentandi, & artes atq; insidias deijciendi, viu ipso vetustatis edidicerunt. Optima autem sunt & efficacia arma, & ad tuendum nos ipsos contra dæmones, & ad offendendum eosdem, Oratio, maximè quatenus illa exercitationem virtutum includit. Iacob Patriarcha morti vicinus, dixit ad filium suum Ioseph, Gen: 48. *Do tibi vnam partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorhei, in gladio & arcu meo.* Notant interpretes, S. Patriarchā Iacob, nunquam arma gestasse, nec eis vsum fuisse. Et propterea Chaldaicus Paraphrastes legit: *Quam tuli in Oratione mea*: vt intelligamus Orationem esse gladium, quo dæmon fugatur, & arcus quo vulneratur, eiusq; tentationes vincuntur; passiones domantur, vitia debellantur, & insuper terra, id est cor nostrum possidetur. & propterea, vt monet B Laurentius Iustinianus in Ligno vitæ de Oratione, nequaquā Christi miles, debet arma Orationis abijcere, donec

perseue-

p ri u rat pugna: quoniam vero quousq; viuimus, in acie desudamus, oremus oportet continuè: *nihil enim* inquit, *tam validum reperitur, ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quam Orationis perseuerans opus.* Ob eandem etiam causam ait S. Cypr: Ep: 57. *Incumbamus gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris: hæc enim sunt nobis arma cæleſtia, quæ stare & perseuerare nos fortiter faciunt; hæc sunt munimenta spiritualia, & tela diuina quæ protegunt.* Idem quoq; Iacob Gen: 35. post luctam cum Angelo, quæ luctam Orationis figurabat, claudus remansit, sed benedictus, & fortitudinis nomine cumulatus (hoc enim significat nomen Israël, præualens Deo) & denique terror omnium hostium factus: nam terror Domini, omnes per circuitum ciuitatis inuasit. Idipsum etiam vir Orationi deditus ex ea consequitur, vt scilicet ad mundi amorem sit infirmus, ad sui victoriam robustus, deniq; ad vincendos dæmones animatus, ita vt eos in fugam vertat, & victos à se propellat. Oratio potest non immerito dici armamentarium Ecclesiæ, ad quam accurunt iusti, cùm volunt aduersus dæmones, vitia & peccata pugnare; est veluti generalis quædam officina, in qua vir spiritualis inuenit, quidquid ad se in ea vita conseruandum, augendum & tuendum opus habet. est veluti vniuersitas & palæstra quædam, in qua non solùm scientiam vniuersæ virtutis iustus addiscit; sed & modum pugnandi cum dæmo-

nibus,& eos vincendi acquirit. Est deniq; velut speculum, in quo non solùm maculas omnes cordis videt, vt eas abstergat, & sanctis moribus corrigat ac perficiat: sed & omnes astutias dæmonis, tentationes, insidias, ac laqueos deprehendit; ita vt non immerito dicere possit cum Apostolo, 2. Cor: 2. *Non enim cogitationes eius ignoramus.*

Vndecimò: absq; cognitione suiipsius, neminem perfectionem consequi vidimus c. 40. Hæc autem vbi meliùs, quàm in meditatione acquiritur, vt luce clariùs apparet: & propterea S. Bernardus dicit: *Oratio vt meditatio est, facit hominem cognoscere quid sit: eadem vt petitio est, impetrare, &c.*

Duodecimò & vltimò. Orationem sumptam pro postulatione auxiliorum supernaturalium, requisitorum ad acquisitionem perfectionis, plurimùm esse necessariam, docuimus suprà. Nullæ enim cælestes gratiæ, nulla auxilia speranda sunt, absq; huiusmodi Oratione, *Petite & dabitur vobis:* veritas dicit, quæ mentiri non potest: gratias petenti spondet; negatura non oranti, aut torpenti. Et propterea S. August: docet in Psal: 65. & colligit ex eodem Psal: versu 20. *Benedictus Deus, qui non amouit Orationem meam, & misericordiam suam:* ex Oratione nostra, quodammodo dependere erga nos misericordiam diuinam: ita vt si non cesset Oratio nostra ascendere ad Deum, non cesset etiam

ad nos descendere misericordia eius: & cùm nõ sit amota à nobis Oratio nostra, non est etiam amota à nobis misericordia Dei. & propterea quàm diu hîc sumus, orare debemus, id est perseueranter, vt etiam Deus nobis perseueranter misereatur. Ad hanc autem postulationem, mouet nos meditatio, per quam cognoscimus, tam malum fugiendum, quàm bonum amplectendum ac procurandum.

Ex his ergo manifestè constat, necessarium esse studium ac exercitium Orationis, ei qui cupit, non solum consequi perfectionem, sed & aggredi viã, quæ ad ipsam ducit: nam qui Orationis studium negligit; perfectioni & omnibus donis Dei, aditum præcludit. Docet hoc S. Chrysostomus: lib. 1 cit. vbi ponderat sapienter, optimum fuisse consilium Danielis, nolentis etiam per triduum studium Orationis omittere; quia scilicet non est aliud hoc, quàm sanctitati & omnibus donis Dei, aditum præcludere. Ostendit etiam ibidem hic Sanctus, studium Orationis esse signum sanctitatis ac perfectionis: & propterea inquit, *vbi quempiam videro, non amantem orandi studium, nec circa hoc feruidam curam habentem, continuo mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Contra verò vbi quem conspexero insatiabiliter vacantem cultui diuino; idq; in summis damnis numerantem, si non continuo orauerit, coniecto talem templum Dei esse in quo Deus habitat & glorificatur.* Egregiè igitur asseruit

S. Bonauent: 7. processu: Relig: c. 15. Meditationis finem esse Deo vniri, ac ad omnem perfectionem, sanctitatemq; peruenire.

Ex dictis colligitur primò: Magni faciendum esse studium Orationis. Secundò, ea, quæ mirabilia certè, & magnifica dicta sunt de Oratione, intelligenda esse, de ea quæ non est tepida, sed feruens & libera à distractionibus culpabilibus, atq; non fit irreuenter ac indeuotè, ac deniq; quæ non caret alijs bonis circumstantijs, quas vera Oratio habere debet; de quibus fusè & deuotè agit Aluar: integro tom: 3.

CAPVT LI.

Hominibus Societatis, si Perfectionem consequi desiderant, necessariò Regulæ instituti seruandæ sunt.

NOn est mihi propositum, omnem necessitatem seruandarum nostrarum Regularum hic explicare, ac proinde nec in medium adferre, omnia illa, quæ valent ad commendationem huius custodiæ, ac moueant nos ad eandem: sed ostendere tantùm ad consequendam perfectionem, regularum obseruationem, non frigidam sed ardentem & exactam necessariā esse; quod ex sequētibus rationibus non obscure patebit.

Prima est: vnusquisq; Religiosus, tenetur vt vidimus c. 22. procurare perfectionem, per

media à sua Religione constituta: hæc autem media, non alia sunt, quàm Regulæ, seu statuta vniuscuiusq; Religionis, & custodia ipsorũ. Licet enim perfectio, vna tantummodo sit specie, vt vidimus c. 44. medijs tamen plurimis, ijsq; inter se diuersis acquiri potest. Necessarium itaq; est nobis cupientibus proficere, regulas nostras seruare.

Secunda, quæcunq; Religio habet peculiaria, præ alijs Religionibus, proposita sibi à Deo media, & modos acquirendæ perfectionis; & vnaquæq; secundùm proprium spiritum, ac vocationem suæ religionis, & non alterius, debet tendere ad eandem. Hinc frequenter auditur; alius est spiritus Eremiticus, alius Monasticus: alius Capucinorum, alius Dominicanorum, &c. vnde vocatus à Deo ad solitudinem, iugi lectioni, assiduæ Psalmodiæ, deniq; frequenti meditationi rerum diuinarum, vacare debet: quod si vellet discordes componere, iurgia & dissidia sopire ac extinguere, carceres visitare, alijsq; operibus externis misericordiæ attendere, & deniq; vitam actiuam agere, manifestè exerraret ac deficeret. è contra, ad salutẽ animarum procurandam vocatus ea tractet, quæ ad lucrandas animas Deo inseruiunt, quæ si toto tempore Orationi & contemplationi vacaret, muneris sui & vocationis partes nequaquam expleret. Media autem peculiaria in Religione à Deo proposita, non sunt nisi Regu-

læ: & spiritus proprius vniuscuiusq Religionis, in Regulis proprijs illius continetur & declaratur: vt & Societatis v. g. Spiritus, in Regulis seu Constitutionibus nostris. Nobis igitur quærentibus perfectionem, necessaria est nostrarum legum custodia; maximè cùm in illis B. N P. Ignat: vias omnes ac rationes assequendæ perfectionis tradiderit, vt nihil à nobis propterea magnopere desiderari queat. Hinc Bustamantius, quem Præpositi Prouincialis omnes explesse numeros censebat B Borgia, tertius Societatis nostræ Generalis, cùm Bæticæ præesset, eo curas omnes suas conferebat, vt Constitutiones, & Regularum apices & puncta seruarentur: sat ipsas cum diuina gratia ad perfectionem adipiscendam affirmans habere virium, nec præterea quidquam requirendum. & propterea in Summar. Const: n. 15. commẽdatur nobis, vt in nostri instituti peculiari ratione adimplenda, nos exerceamus: & in ipsis Constit: monemur, vt propriam perfectionem & proximorum impensè quæramus; & proptèrea parentes, fratres, cognatos, amicos, propter Christum tantùm diligamus; res mundi sancto odio prosequamur, ac cætera, quæ separatis regulis præscribuntur ad amussim, quantũ fieri potest, Dei auxiliante gratia, expleamus.

Tertia: Nobis Religiosis, virtutes statui nostro peculiares exercendæ sunt, & huiusmodi virtutum perfectionibus, ad perfectionem

indefesso

indefesso studio contendendum. Illæ autem sunt virtutes, statui nostro peculiares, quas scilicet, peculiaris nostra vocatio, & status requirit. Nam licet omnes iusti vocentur à Deo ad virtutes acquirendas,& exercendás,non tamen vt constans est sententia SS. Patrum, omnes peculiariter ad easdem vocantur; sed quædam sunt communes, & omni statui conueniunt; quædam verò particulares, particularibus statibus, magis propriè & ex professo competentes: imo & intra eundem statum & vocationē, cùm varia soleant esse ministeria exercenda à Religiosis, v. g. Concionatoris, Confessarij, Procuratoris,&c. quorum istud ab vna virtute, illud verò ab alia dependet; variæ etiam ac peculiares pro personarum varietate requiruntur. Ad hoc autem præstandum necessaria est nobis obseruatio nostrarum regularum; in illis enim virtutes illæ, statui nostro & officijs peculiares præscribuntur, & vniuscuiusq; virtutis perfectio iuxta mensuram propriæ vocationis declaratur.

Quarta: doctrina perfectionis,quam Christus Dominus tradidit,in consilijs Euangelicis, & alijs quibusdam medijs est explicata: hæc autem in regulis Religiosorum continentur, ac proinde regulæ religionis sũt seruãdæ, vt doctrina perfectionis tradita à Christo practicetur.

Quinta: Regulæ Religiosorum sunt de actibus virtutum, vel ad illas referuntur & diriguntur,

guntur, quod patet ex ipsarum lectione, & ex experimento, ac deniq; quia ad hunc finem, vnaquæq; regula religiosorum traditur. Actus autem virtutum sunt necessarij ad consecutionem perfectionis, vt vidimus. ac proinde & regulæ religiosorum religiosis, & nostræ nobis.

Sexta: adiuuant præterea plurimùm, varijs alijs modis, regulæ nostræ ad consequendam perfectionem, ac dirigunt ad eam; quod primùm patet experientia, nam non pauci solâ exacta obseruatione earum, ad maximam sanctitatem & perfectionem peruenerunt: vt proinde vel ex hoc capite seruandæ nobis sint. deinde ex ipsa notione & definitione regulæ: Regula enim, ideò sic dicitur, vt docet S. Bonauen: in explicat: Regulæ S. Francisci, quia rectè ducitur, & ducit; rectum autem est, quod non exit ab extremis. Vel vt alij apud S. Isidorum lib: 6 orig c 6 Regula quia regit, & quod distortum prauumq; corrigit. De qua re plura videri possunt apud Negronium, in declaratione Regularum Societatis communium, tit: p. 1. n. 2. 3 & 4.

Septima: exacta regularum religiosarum obseruatio, reddit viam seu custodiam diuinorum mandatorum, facilem ac suauem, ac proinde & viam, seu studium perfectionis. Indicat hoc S. Tho: quodlib: 4. a. 23. explicans illud Matth: 19. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.* *Quia difficile est*, inquit,

quod ho-

quòd homo præcepta seruet, quibus intratur in regnum, nisi sequens consilia, diuitias relinquat. Sunt ergo exacta obseruatio regularum religiosarũ, quasi rotæ bene vnctæ, quibus expeditissimè viam mandatorum peragimus: & sunt velut pennæ, quibus ad fastigium perfectionis euolamus. Vtuntur his similitudinibus S. Aug: Serm: 22. de verbis Apost. & S. Bern: ep. 341.

Octaua: exacta obseruatio regularum nostrarum, est veluti seps & murus aheneus, qui nos cingit, munit & defendit, ne tentationibus carnis, mundi, ac dæmonis, ac insultibus eorundem facilè pateamus, ne telis ipsorum vulneremur, deniq; ne gratiam Dei, amicitiam eiusdem, ac sanctarum virtutum ornamenta perdamus, ac in via perfectionis retardemur. Vnde inter alias laudes hominis, verè quærentis salutem animæ suæ, illud etiam ponit Isai: c. 58. *Vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietẽ.* Certè sicut nulla laus esset, ædificatorem esse sepium materialium; sic maxima est, obseruatorem esse mandatorum Dei, & vniuersarum legum, quæ nobis ab eo per homines sunt traditæ. Et è contra, magnum dedecus est, ac præsenti res exposita periculo, ac obnoxia detrimento, sepes huiusmodi dissipare, vt dicit Sapiens Eccl: 10. nam talem coluber mordebit, ille qui ardens liuoris æstro, vafer astum tendens & technas, dissipatam sepem hanc perrupit, & ferali porrecto pomo, iecit omnes nos

ad mortem, non temporaneam solum, sed & æternam.

Nona: Religiosus, qui omnes regulas vt debet seruat, pacem veram internam, quæ vt vid: sæpiùs ad consecutionem perfectionis requiritur, necessariò habebit, iuxta illud Apost: ad Gal: 6. *Quicunq; secuti fuerint hanc regulam*, id est doctrinam à Christo traditam, quæ præcipuè est de virtutibus & perfectione; *pax super illos & misericordia*: à quo testimonio S. Bonau: expositionem Regulæ S. Francisci exorsus est, vt indicaret custodiam integram ac exactam regulæ religiosæ, pacis veræ internæ causam esse. Pulchrè S. August: explicans illa verba, Psal: 36. *Custodi innocentiam*, (scilicet in corde tuo, vel vt Card: Bellarm: erga te ipsum) *& vide æquitatem*; (id est, cura vt sit in opere tuo; vel vt Bellarm: iudica, & serua quod rectum est erga proximos tuos) *quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*: id est, relicta sunt post mortem à Deo multa præmia homini pacifico, inter quæ præcipuum locum tenet, vita beata & æterna: docet postmodum, quo pacto hæc pax interna acquiri potest. *Qui*, inquit Sanctus, *veram pacem desiderat, prius eam cum Deo habere consuescat. Sed dicis: Et quis est, qui cum Deo pacem habere non velit? Respondeo: ille vtiq; qui non sic viuit, quomodo Deus viuendum esse præcepit; id est, ille qui non seruat mandata Dei*: quod de transgressione quoq; nostrarum regularum intelligi potest. Religiosus enim,

transgressor

transgressor propriarum legum, pacem non habet cum Deo: nam bellum cum eo gerit, quãdoquidem voluntati eius aduersatur; ac proinde vera pace internâ necesse est careat. Contra verò amator, & obseruator legum religiosarũ, habet pacẽ cum Deo, cuius voluntati, etiam in rebus non præceptis concors est, & conformis; ac proinde pace verâ interna fruitur.

Decima: Exacta obseruatio legum religiosarum, etiam minorum, imò maximè minorũ, signum est euidens, ingentis ac feruẽtis amoris, non solum propriæ vocationis, sed & ipsius D.O.M. (quæ res quantum conducat ad acquisitionem perfectionis, manifestum est.) Qui enim etiam minimam offensionem amati vitat, & maiorem quocunque malo omnem illius offensam æstimat, hic profectò verè amat, & vehementer ac ardenter amat. Sicut contra, negare nemo potest, diminutionẽ ibi esse amoris, vbi leuiores offensiones amici nihili fiunt: signa sunt profectò, languentis ac tepentis in amore, solis mortem inferentibus & amicitiam penitus dissoluentibus terreri, & his solum ab amati Dei offensione auocari. Et propterea etiam Deus, sicut magnâ mercede obseruationem minimarum præmiat, ita vicissim ingenti pœnâ, transgressionem eorundem punit: primum patet ex verbis S. Matth: 25 *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* & ex S.

Luc: c. 19. *Quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem Ciuitates.* Secundum verò habetur ex pœna illius, qui talentum Domini datum ad negotiandum, metu pœnarum suffoderat. *Inutilem seruum*, inquit Christus Dominus, Matth: 25. *eijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*

Vndecima: Multas gratias, auxilia, & beneficia necessaria ad proficiendum, consequitur Religiosus à Deo, propter integram & exactam custodiam propriarum legum. Colligitur hoc ex ratione præcedenti, & indicatur à S. Paulo l. c. verbis illis: *Misericordia*, scilicet Dei, *super illos*: quæ non consistit in solo affectu Dei, sed in ostensione eiusdem, medijs scilicet gratijs & beneficijs, quæ tali homini confert & largitur. Has autem omnes misericordias, ad compendium redegit Sapiens Prou: 3. dum ita scribit: *Fili mi, ne effluant hæc*, scilicet præcepta Dei, *ab oculis tuis: custodi legem atq; consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis, tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: si dormieris, non timebis; quiesces, & suauis erit somnus tuus, &c.* Præclarè & fusè explicat hanc sententiam Aluar: tom: 2. lib: 3. p. 4. c. 8. agens de custodia regularum religiosarum. Mihi autem hoc in ea sententia obseruandum occurrit: quod etiam ipsa verba textus indicare videntur. Commendari omnibus à Salomone, maximè Religiosis, assiduam memoriam, & diligentem custodiam

omnium

omnium legum; ideoq; dicit: *Custodi legem & consilium.* &, *Ne effluant ab oculis tuis*; id est, ex intellectu & memoria tua, quibus vice luminis seruiunt regulæ. *Lex enim*, vt idem Sapiens ait, Prou: 8. *est lux, & mandatum lucerna.* Per hanc verò exactam obseruationem legum, consequimur in hac vita, hæc quatuor inter alia. Primum vt anima nostra verè viuat vitâ spirituali, scilicet non amittat gratiam iustificantem, imò etiam exerceat opera illius vitæ, grata nimirũ Deo, & meritoria nobis vitæ æternæ. & propterea dixit: *Et erit custodia legis, vita animæ tuæ.* Secundum, vt Oratio nostra, quæ per gratiam faucium designatur, semper sit accepta Deo, ac exaudiatur ab eo. Tertium, vt peculiariter protegatur à Deo, anima nostra, ne non solùm non succumbat in tentationibus, sed etiam vt victoriam contra illas consequatur: & propterea addidit sequentibus verbis eodem capite Prouer: *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris*; scilicet à malo, à tentatione, à dæmone. Quid præsente tali custode, tam potenti & vicino, timendum est? & quomodo non fidendũ, imò audendum! Quartum & vltimum, vt omnia nobis prosperè eueniant de die, & de nocte, in prosperis, ac in aduersis, & nihil nos terreat, nec in vita, nec in morte; imò nec in extremo die iudicij, cùm omnes alij trepidabunt, *& dicẽt montibus*, id est, Christianâ perfectione sublimibus Dei seruis, *cadite super nos, & operite nos, &c.*

Profectò veris amatoribus, ac obseruatoribus legũ religiosarum, cõuenit meritò illud Luc: 21. *His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Cùm plagæ mundi crebrescunt*, inquit S. Greg: in illum locum, *cùm terror iudicij virtutibus commotis ostenditur, tunc respicite, id est, læto animo videte, & leuate capita vestra; id est, exhilarate corda, quia dum finitur mundus, cuius amici non estis, prope fit redemptio quam quæsistis.*

Duodecima: Per integram & exactam legum obseruationem, amici Christi, Dei ac Domini nostri efficiemur, & charissimi amici: quod patet ex rationibus allatis, & indicatur ab ipso Christo, Ioan: 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Quantùm verò id conferat ad perfectionis consecutionem, sicut & illud quod mox subnectam, nemo est qui non videat.

Decimatertia, & vltima ratio: Quandoquidem Regulæ Societatis nostræ, sunt plenæ, claræ, & perfectæ; obseruatio illarum hæc quatuor præstabit in nobis. Primum est, faciet nos securè pendere à directione, & efficaci motione diuina; sicut transgressio ipsarum priuabit nos hoc auxilio. Secundum, medebitur omnibus nostris malis spiritualibus, & quidem efficaciter: sicut transgressio illarum, est origo omnium defectuum, nullus est enim defectus, qui ex illarum prætermissione non nascatur. Ter-

tium, vniet nos arctè Deo, ſicut tranſgreſſio lædit hanc vnionem. Quartum & vltimum, adferet ſerenitatem animæ noſtræ, ſicut tranſgreſſio obſcuritatem & cœcitatem.

Ex his omnibus patet, omnes Regulas, etiam paruas ac minimas, própter eaſdem rationes ſeruandas eſſe nobis, ſi volumus perfectionem conſequi. Quomodo autem ſeruandæ ſunt nobis regulæ noſtræ, id eſt, quàm exactè, quàm ſollicitè, & quàm recta intentione, docet Aluar: l. c. c. 11. vbi hæc videri poſſunt. Capite autem 10. agit de cauſis & remedijs neglectûs, etiam minimarum regularum; quod etiam egregiè præſtat Carolus Scribanius, in ſuo medico religioſo, c. 7. lib: 3. vbi hæc videnda.

Dices: Cùm dentur aliquæ huiuſmodi regulæ, in aliquibus religionibus, quæ per ſe, ac ex inſtituto religionis, non obligant ad vllam culpam; quomodo obſeruatio illarum erit neceſſaria ad perfectionis conſecutionem? Reſpondeo, me oſtendiſſe copioſè, neceſſarium eſſe. Hinc autem, quod aliqua regula per ſe, ſeu naturâ ſuâ, &c. non obligat ad culpam, id tantùm ſequitur, tranſgreſſionem illius voluntàriam ac deliberatam ex ſuo genere, non eſſe peccatum, nec eſſe neceſſariam obſeruationem illius ad euitandum peccatum. Addo, poſſe tamen etiam huiuſmodi tranſgreſſionem, aliunde eſſe peccatnm; v. g. ex contemptu, aut parua æſtimatione regulæ, vel ex nimio affectu erga ali-

quid, aut ex negligentia, & torpore animi, vel propter aliquod spirituale detrimentum, vel propter vitandum aliquod peccatum, vel alijs de causis, vt colligitur ex S. Tho: 2. 2. q. 186 a. 9. ad 3. Caet: ibidem, & ad 4. dub. Gregor: Valent: ibidem, disp: 10. q. 4. p 5. Reginaldo in praxi, lib: 18. n. 393. Multò verò magis, talis transgressio, potest esse imperfectio, quamuis non esset peccatum: latiùs enim hæc patet. Perfectio enim obligat Religiosos ad perfectionē, vt vid: & Regula est propter obseruationem: ac proinde obseruatio regulæ, est obseruatio recti & recta, vt patet ex 6. ratione: transgressio igitur regulæ erit obliquitas quædam, & deflexio à recto, ac proinde imperfectio. Præterea obseruatio regularum est via ad perfectionem, eo enim fine sunt institutæ, vt vid: transgressio igitur regulæ, id est, violatio illius deliberata, & sine iusta causa, erit deuiatio à perfectione, ac proinde imperfectio. Non datur enim medium inter perfectionem & imperfectionem Deniq; obseruatio regulæ, efficit rectitudinem: ergo eiusdem violatio facit obliquitatem, ac imperfectionem; est enim violatio recti. Necessarium autem est, ad consequendam perfectionem, etiam imperfectiones cauere. Nam & has solet punire Deus, non tantum denegatione perfectionis, vel progressûs; sed & auxiliorum necessariorum ad consecutionem illius. Ac propterea monuit P. Claudius Aquauiua, c. 2.

Industriarum: vt nostri doceantur, Regulas non reputare consilia; quæ si obseruant, bene faciunt: sin autem, nihil mali. Reputare igitur debent esse præcepta, quas cùm non obseruant, malè faciunt.

CAPVT LII.

Qui quærit Perfectionem, eam sibi vt finem proponat.

AD quærendam & inueniendam perfectionem, illud etiam plurimum conducet, si eam nobis vt finem præscripserimus; quandoquidem est reuera finis omniũ nostrûm, & maximè Religiosorum, vt vid: supra. Finis autem, vt ostendimus, mente comprehensus, & intentus vt finis, inter alia hoc præstat, vt moueat vnumquemq; ad agendum, instiget ad operandum, & consequenter ad suiipsius consecutionem conducat. Tunc autem vt finem nobis proponemus perfectionem, cùm omnia negotia ac opera nostra, amore perfectionis, seu intentione illius, vt scilicet proficiamus, & perfectionem assequamur, exercebimus: v. g. cùm oramus, vel celebramus, &c. dicamus intra nos; ego in his, nõ tantùm Deum colere volo, quod pertinet ad virtutem Religionis, nec tantùm obedire, quod pertinet ad virtutem obediẽtiæ; sed etiam multò magis, me ipsum ampliùs ampliusq; perficere: sic enim agendo, sine dubio citiùs perfectionem assequemur. Sicut enim

citiùs humilitas acquiritur, operibus humilitatis, intentione illius factis, vt vid: c. 41. ita & perfectio operibus perfectionis, intuitu eius exercitis. Præstandum autem hoc est, non solum in illis operibus, quæ naturâ suâ sunt perfectionis, seu virtutum opera, vt est, v. g. Oratio, Sacrificium, abnegatio propriæ voluntatis & iudicij, mortificatio passionum, &c. sed etiam in his quæ seruire possunt virtutibus, seu pertinere ad illas; vt v. g. docere disciplinas, maximè profanas, disputare, &c. Perfectionem existimo vt finem, omnium suarum actionum præscripserat sibi S. Bern: & ideò vt legimus in ipsius vita, lib: 1. c. 4. incitabat seipsum, & sibi ipsi hoc sæpè inculcabat dicens: *Bernarde ad quid venisti?* quod & de Arsenio memoriæ proditum est. Neq; enim aliam ob causam homines probi vocati à Deo, sæculo relicto, veniunt ad Religionem, & vitam religiosam suscipiunt ac profitentur, nisi vt perfecti euadant.

Dices: Eritne huiusmodi actus, quem quis exercet intuitu perfectionis, meritorius augmenti gratiæ, & vitæ æternæ? cùm non fiat actu vel virtute ob finem Charitatis Theologicæ, sine qua nullus actus virtutis, etiam supernaturalis factus ob proprium finem, placet Deo: nec est meritorius huiusmodi augmenti, vt præter alios Sanctos Patres, clarè docet S. Aug: c. 21. de serm: Domini in monte, quod testimonium citaui c. 41. Item 19. de Ciuit: Dei, c. 25. vbi sic

ait:

ait: *Cùm virtutes propter se ipsæ expetuntur, seu ad seipsas referuntur, non sunt veræ virtutes, sed vitia.* Libro etiam 5. de Ciuit: c. 15. & ep: 5. ad Marcel: dicit: Virtutibus ciuilibus Romanorum tributa esse imperia, honores, gloriam; quæ tamen ad sublimia illa virtutum verarum præmia non assurgebant, cùm hæc non dentur nisi ijs quæ à Charitate proficiscuntur. Denique in Psal: 31. dicit, nullum esse opus bonum ante fidem. Non dissimilia habet S. Prosper, sentent: 46. & de vita contemplat: lib: 3. c. 14. Et S. Leo, nudas ait esse virtutes omnes sine Charitate, nec posse dici in qualibet morũ excellentia fructuosum, quod non Charitatis partus ediderit. Denique S. Tho: 2. 2. q. 23. a. 7. & 8. vbi dicit, Charitatem esse formam virtutum. Respondeo fore meritorium: Primò quidem, quia eo ipso quod actu fit intuitu perfectionis, fit etiam actu intuitu placendi Deo; perfectio enim actu principaliter essentialiter est Charitas Theologica. Secundò, quia non est verum requiri ad meritum augmenti gratiæ, ac vitæ æternæ, vt actus alicuius virtutis supernaturalis, ad finem Charitatis referatur, seu intuitu illius fiat. Scriptura enim, & Sacra Concilia, vt docetur in Theologia, etiam alijs virtutibus tribuunt huiusmodi meritũ gratiæ, & vitæ æternæ, etiamsi non procedant ex Charitate. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*; Gen: 15. *Vinctis compassi estis*, dicit Apostolus Hebr: 10. *& rapinam bonorum ve-*

strorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam; nolite itaq; amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Christus etiam Dominus, vitam æternam, seruantibus mandata, promittit; tanquam mercedem: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; Matth:19. Deniq; Conc: Trident: Sess: 6. Can: 24. & 32. dicit, nos per bona opera mereri vitam æternam, & augmentum illius. Nullam autem mentionem faciunt Charitatis in his locis, vel alijs similibus, tam Script: quam Concil: imò in toto Decalogo, obseruationi cuius promissa est vita æterna, nulla fit mentio præcepti Charitatis. Opera etiam virtutis, si fiant debitè ab homine existente in gratia, & ex motione Spiritus Sancti procedant, proportionata sunt fini suo, nimirum vitæ æternæ, ac proinde attingunt illam, ac merentur: non enim possumus commodiùs finem assequi, quàm per media naturaliter illi consentanea. Ad id verò, quod ex SS. Patribus adfertur, tripliciter respõderi potest. Primò: loqui illos de virtutibus naturalibus, & quæ sine auxilio supernaturali, seu motione Spiritus sancti fiunt. Et hoc apertè intelligit S. Aug: 19. de Ciuit: vt patet ex sequentibus verbis: *Sicut enim non est à carne, sed super carnem, quod illam facit viuere; sic non est ab homine, sed super hominẽ quod hominem facit beatè viuere.* Et Psal: illo 31. vbi solùm vult non esse bona opera, absoluta officij bonitate & claritate firmata, vt

videli-

videlicet homini prosint ad vitam æternam. Secundò, non tribuere ipsos totam rationem meriti Charitati vt Charitas est, sed vt est gratia sanctificans; quo pacto etiam S. Tho: docet, Charitatem esse formam virtutum, quia scilicet vt comprehendit gratiam, facit opera meritoria; sic verò gratia etiam ipsius Charitatis est forma. Quanquam & ipsa Charitas Theologica, vt sic in hoc sensu potest dici forma omniũ virtutum, quia eas ordinat ac extollit, ad altissimum finem hoc est Deum, quatenus est bonus in se, & consequitur, proficit ac consumat. Hinc dicit Apostolus 1. Tim: 1. *Finis præcepti est Charitas*: *finis inquam consumans, proficiens.* Tertiò, Charitati tribuere maximè, sed non absolutè rationẽ meriti, quia scilicet ipsa, vinculum amicitiæ inter nos & Deum perficit, quod ad rationem meriti requiritur; & illa est præcipuum inter virtutes fundamentum, cui meritum innititur, nam eâ sublatâ non esset. Adde, aliquos ex S. Patribus, qualis est Prosper: &c. expresse loqui de operibus bonis factis, absolutè sine Charitate, quod scilicet fiunt ab hinc, in quo non est Charitas, vt pote per peccatum amissa, seu absẽnte; qualia opera nõ sunt meritoria vitæ æternæ Charitate: nõ verò in hoc sensu sine Charitate: id est non ob finem charitatis. Vtile nihilominus esse, referre opera virtutum ad finem Charitatis Theologicæ, verissimum est, nam tunc opus virtutis, v. g. humilitatis, relatum à Cha-

ritate ad placendũ Deo, & amore ipsius factũ, duplicẽ habet honestatẽ, alterã quæ ei à natura competit, v. g. humilitatis; alterã quam ei Charitas largitur: quod dũ fit, crescit (vt experientia constat) vtraq; virtus, & ea quæ imperat, & ea quæ ex alterius imperio procedit: estq; tunc maioris vis virtutis imperatæ ob excellentiã Charitatis. Hinc *Charitas* dicitur 1. Cor: 13. *patiens, benigna, non æmulari, &c.* Propterea etiam appellatur origo omnium virtutum, & extirpatrix omnium vitiorum, quamrem fusè persequitur Hugo Victorin: lib: de laudibus Charitatis. Crescente verò vtraq; virtute, crescat necesse est & perfectio, gratia ac præmium vitæ æternæ. Nec mirum, gratum est enim hoc Deo, cùm ipsi quis in omnibus placere studet, & omnia opera amore eius facit: vnde & renumeratur tale studium, & propterea S. Paulus 1. Cor: 16. hortatur Christianos: *Omnia vestra in Charitate fiant?* studio placendi Deo. Ob eandem quoq; causam eodẽ 1. Cor: 10. tale consilium dedit, etiam circa opera indifferentia: *Siue manducatis*, inquit, *siue bibitis, siue aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Nec operosa est hæc res; facilè enim est initio cuiusq; operis, breui elatione mentis offerre Deo, quodcunq, opus, quod non est peccatum, vt ei placeat. & qui operatur hoc modo, ostendit se esse verum filium Dei, quod fusè ostendit ex SS. Patribus Aluar: tom: 2. lib: 3. p. 3. c. 3.

Securius verò est, ac proinde & vtilius facere opera aliarum virtutum, vel etiam indifferentia, ex actuali intentione amoris Dei; quam ex generali vel virtuali: id est securius est, actu referre ad Deum vnumquodq; illorum, vel plura etiam, si simul fiant: vt docet S. Bonauen: 2. Sentent: d. 41. a. 1. q. 3. vbi etiam monet, non sufficere, vt opus virtute dicatur referri in Deum, si quis ad initiũ anni, mensis, vel diei, generali quadam intentione, omnia sua opera in Deum referat. Tunc enim opera nostra dicuntur virtute referri in Deum, cùm intentio præcedens, est vera causa operum quæ postea fiunt. Quod verò securius sit referre actu in Deum opera, patet, quia hæc res nullam habet difficultatem, & plurimum meriti: illa verò de generali relatione vel virtuali, difficulter explicatur & cognoscitur, neq; calculo omnium Theologum probatur.

CAPVT LIII.

Ad consecutionem Perfectionis, iuuat plurimum, iugis seu frequens memoria Diuinæ præsentiæ, in omnibus locis & negotijs.

MEmoria iugis seu frequens diuinæ præsentiæ, significat hîc cogitationem, seu considerationem nostram, qua iugiter aut frequenter in omnibus locis, & negotijs nostris, cogitamus De-

mus Deum esse præsentem nobis, vti reipsa est, & penitus intueri nos, nostraq; omnia, interna & externa, nosq; in conspectu eius esse, etiamsi nollemus. Iam verò hanc considerationem Numinis præsentis, magnopere vtilem esse, imò & necessariam perfectionis studiosis, ad consequendam ipsam, sic ostendo.

Primò, quia ita colligitur ex SS. Patribus. Audiamus B. Laurentium Iustinianum, qui lib: de gradibus perfectionis. c. 6. sic loquitur: *Illum* inquit, *arbitror beatum esse* (quod idem est ac dicere perfectum) *qui quamdiu à Domino peregrinando degit in corpore, per censuram disciplinæ spiritualis, omni custodiá seruat cor suum, & in cunctis suis negotijs interius disponendis, vel peragendis exterius, in lumine fidei, & sapientiæ splendore, Dei præsentiam meditatur in spiritu; Prophetamq́; imitatur, qui ait Psal: 15. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. Nihil quippe reor sic efficax, ad internam adipiscendam mundiciam, & ad virtutum arcem conscendendam, nec non ad conterendas carnis delectationes, quæ aduersus animam militare noscuntur, quemadmodum cogitare, se astare semper ante oculos iudicis cuncta cernentis. Tali profectò studio, & huiusmodi frequentata meditatione, acquiritur cordis munditia, tenetur, possideturq́;, cooperante nihilominus diuina misericordia, & mediatoris gratia, quæ perficit opera nostra.* Hæc ille. Perfectio autem est absoluta munditia animæ, & ipsa virtutes omnes in gradu sublimi continet: quare si ex sententia huius Sancti, cōsideratio præ-

ſentiæ Dei, præſtat animæ noſtræ abſolutam munditiam, ac virtutes omnes in gradu ſublimi, inducit etiam & perfectionem. Aliorum SS. Patrum teſtimonia, inferius in varijs rationibus ſparſa habebimus.

Sancti Patres, vt videre eſt apud Cromb: lib: 2. de ſtudio perfectionis, c. 20. ſuadent, ſtudioſis virtutum, id eſt ijs qui acquirendis virtutibus ex profeſſo & diligenter dant operam, vt ſi proficere velint, conſtituant ſibi virum quempiam integerimum, quaſi intuentem illos, cuius ipſi ſanctitatem admirentur ac venerentur, vt is præſentiâ ſuâ, ac vitæ propoſitâ integritate, defectus illorum ac errores quos commiſerunt corrgat, futuros verò ne ſcilicet in illos labantur, præcaueat ac impediat, & tandem ad virtutes inſerendas animæ & augendas eos incitet ac promoueat. Quòd ſi hoc documentum ſalutare eſt, vti eſt, quantò magis erit ſalutare, ad perfectionem capeſſendam, cogitare Deum, ipſam omnino ſanctitatem, omnia potentem & videntem, ſemper adeſſe nobis, & nos intueri?

Tertiò, quia hanc præſentiam Dei, aſſiduè, vel frequenter cogitatam à nobis, omnes Magiſtri vitæ ſpiritualis docent, præcipuum eſſe inſtrumētum, ad quærendam perfectionem, imo compendium quoddam ſeu complexionē multorum inſtrumentorum, aut adminiculorum, quibus ad perfectionē venitur; quòd quomodo ſit verum, patebit ex ſequ. Dubium pro-

fecto non potest esse, homines incitari, ad quærendam perfectionem hoc medio, seu exercitio huius medij, videlicet consideratione præsentiæ Dei, qui cupit nos esse perfectos: Merito igitur potest appellari instrumentum perfectionis. Certe Petrus Damianus Cardin: disertè & clarè affirmat, Dositheum discipulum Dorothei, præsentiæ Dei exercitatione, ad perfectionem peruenisse.

Quartò & quintò; quia hoc exercitium pellit & profligat, omnia peccata quæ sunt in nobis, & præseruat nos à futuris, ne scilicet in ea incidamus: quod vtrumq; pernecessarium est ad obtinendam perfectionem. Præstari autem vtrumq; hoc quod dixi, à consideratione præsentiæ Dei, indicat S. Scriptura & SS. Patres. Scriptura quidem sacra duplici modo: primò, quia multorum peccatorum & grauissimorum, quæ homines audacter comittunt, docet esse causam obliuionem Dei, seu quod non cōsiderent homines se videri à Deo. Ita Oseæ 8. *Oblitus est* inquit, *Israel factoris sui*: quid verò inde secutum est? *& ædificauit delubra*: contempto vero Deo, post idola abijt, & templa, ac aras illis exstruxit. Ezechiæ quoq; 8. postquam Dominus ostendit illi abominationes seniorum Israel, dicens: *Certe vides Fili hominis, quæ Seniores Israel faciunt in tenebris, vnusquisq; in abscondito cubiculi sui*; statim subdidit: *Dicunt enim: Non videt nos Dominus, & dereliquit terram.* Non dissimilia sunt

apud e-

apud eundem, c. 9. Deniq; Psal: 9. postquam S. Dauid dixit absolutè de iniquo: *Non est Deus in conspectu eius*: mox subiunxit; *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*: ac si diceret: Si consideraret Deum sibi esse præsentem, & se ac sua opera intuentem, non vtiq; auderet nefanda operari. Nec nos leuioribus etiam culpis inquinaremus, si ipsum semper præsentem meditaremur: nam reuera si peccator seriò, diligenter, & attẽte, magnum illum mundi oculum, omnia considerantem, & inspicientem perpenderet, neq; patraret coram iudice flagitia, nec in comissis salubri dilatâ pœnitentiâ, tanquam sus in luto volutaretur. Ester vt legimus c. 15. damnata cũ toto populo suo, Assueri Regis præsentia, ita territa fuit, vt corruerit, ac pene exanimata fuerit. Ita & peccator, si intueretur sua scelera, & recogitaret damnationem, quam pro illis meretur, & deniq; Dominum maiestatis præsentem & videntem versaret animo, ac eum iratum sibi cogitaret, coram quo curuatur orbis vniuersus, quem adorant dominationes, tremunt potestates, ad cuius vocem, omnia fundamenta terræ quatiuntur, trepìdaret, nec auderet perseuerare in peccatis, sed doleret de illis, ac veniam postularet, & tandem quàm maximè in posterum eadem caueret. Secundò, quia eadem sacra Scriptura indicat quosdam continuisse se à peccatis, consideratione præsentiæ diuinæ. Sic fecit Susanna Dan: 13. quæ elegit e-

tiam infamiam potius ac acerbam mortem perferre, quàm in conspectu Dei peccato consentire. Hinc illa vox ipsius digna profecto tali matrona: *Melius est mihi incidere in manus vestras* (loquebatur duobus senibus impurissimis) *quàm peccare in conspectu Domini.* Hoc ipsum, vt existimo, imo vt existimat B. Iustinianus, vt vidimus in prima ratione; fatetur de seipso & S. Dauid, cùm dicit Psal: 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear*, id est, vt in peccata non incidam. Quod attinet ad Sanctos Patres; disertè illi docent, præstantissimum remedium esse ad resurgendum à peccatis, & cauenda eadem in posterum, si quis attente consideret, se Domino omnium conditori, videnti omnia etiam intima, astare. Ita S. Ambros: Serm: 1. in Psal: 118 vbi fusè hanc rem prosequitur, ac inter alia sic ait: *Hominem* inquit, *vereris præsentem, cùm adulterium vis comittere: Dei Patris & Filij non vereris præsentiam? Sed non vis credere quod sit præsens, ne possis cauere; non vis audire cùm dicitur, quia Deus occulta hominum videt, ne incipias scire quod timeas, & timere ne pecces.* S Basil: qui de vera virgin: illud Psal: 38 *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* explicat, de habenda præ oculis præsentia Dei, vt peccatum vitetur. *Anima* inquit, *quæ sponsi candidissimam lucem semper in suo pectore suscipit, per singula ita clamabit: Quia tenebræ, &c.* & in quæst: fusiùs disputatis, q 29. inqui-

rit causam multorum peccatorum, v. g. cur quis irascitur, cur se dat otio, &c. Ad omnia & singula vnum respondet, quia non semper cogitat, Deum cogitationum & actionum suarum inspectorem esse, hæc enim vna recordatio, si assidua esset, contra omnia vitia sufficiens remedium esset. Probat hoc & similitudinibus: nam miles præsente rege non irascitur, multò ergo magis homo si præsentem sibi Deum esse perpenderet. S. Chrysost: hom 5. ad Rom: sic ait: *Nihil ita hominem perdit, quàm si illum contingat, ab hac anchora,* (scilicet à timore Dei) *excidere; quemadmodum nihil contra illum seruat, quam assiduus in illum,* scilicet in Deum, *aspectus. Nam si hominem cùm præsentem intuemur, tum ad peccandum tardiores reddimur: sæpe autem & seruos modestiores subueriti, absurdi nihil admittimus: considerato, quantam adepturi sumus securitatem, si nos contigerit Deum assiduè in oculis ferre. nunquam enim diabolus nos sic compositos adorietur, tanquam frustra laboraturus, qui si aberrantes, & sine fræno palantes viderit, sumpto à nobis exordio, poterit vtiq; vt scabiosas oues à grege sũmotos depellere.* B. quoq; Ephrem sic hanc doctrinam stabilit: *Qui lasciuis*, inquit, *effusi sunt concupiscentijs, curis ac sollicitudinibus plena est vita eorũ, quin & recordationis ipsius Dei obliuionem capiunt, quo peius grauiusq; est nihil. Nam continua Dei recordatione, turpes animæ passiones recedunt, instar maleficorum prætore accedente; vnde & mundum Spiritus sancti habitaculum efficitur: vbi verò memoria Dei abest, ibi tene-*

bræ cum fœtore dominantur, omnisq; res improba exer cetur. Cassiod: sic de hac re scripsit: *Qui semper mentis oculum in Deum habet defixum, se ad peccatum non demittit.* S. August: in soliloq: c. 14. vbi docet hanc memoriam præsentiæ Dei, etiam à lapsu nos vindicare & præseruare. *Gressus* inquit, *meos,* (loquitur ad Deum) *consideras, & die noctuq; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans.* & paulò post: *Quocunq; vero, tu me Domine non deseris: fateor quidquid facio, ante te facio, & illud melius tu vides, quàm ego qui facio.* & inferiùs: *Cumq; hæc diligenter considero Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam magna nobis indicta est necessitas, iustè, rectèq; viuendi, qui cuncta facimus, ante oculos iudicis cuncta videntis.* S. verò Tho: opusculo 18. sic ait: *Si Dominum præsentem, & omnia videntem ac iudicantem semper cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus.* Deniq; hoc fortasse voluit Diocles monachus, cùm Paladio, vt extat in histor: conf: c. 98. hoc documentum dedit; Hominē proinde, quamprimùm à diuinæ præsentiæ contemplatione cessauerit, fieri continuo vel dæmonem, vel bestiam. Scripsit quidam Poeta & bene:

Viuere flagitio si vis Tite liber ab omni
In desolato sit tua vita loco.
Atq; ibi quicquid ages, furtimuè, palamuè, memēto,
Inspectatorem semper adesse Deum.

Sextò, septimò, octauò, nonò & decimò,

quia præsentia Dei cogitata, iuuat nos plurimùm, ad refrænandas effrenes nostras cupiditates, ad moderandas inordinatas passiones earundem, ad tollenda vitia, quæ sunt in nobis; ad vincendas omnes tentationes dæmonum, ac illos ipsos; deniq; ad submouenda omnia, quæ impediunt in nobis perfectionem. Sequitur hoc ex præcedenti argumento, & clarè vidimus doceri à SS. Patribus, memoriam præsentiæ Dei conferre ad moderandas cupiditates, & passiones nostras, à S. Ephrem & Basilio, ab eodem etiam, ad vitia extirpanda, deniq; à S. Chrysost: ad vincendas tentationes dæmonũ, & illos ipsos. Certe magnus ille Anton: dicere solebat, memoriam præsentiæ Dei, vnicum esse remedium ad vincendas tentationes dæmonum, & illos ipsos debellandos. Pulchra etiam est de hac re sententia S. Greg: Magni: *Cor* inquit, *memoria Dei occupatum, non potest dæmonis imperio parere.* Meritò profectò, nam tunc apparet maxima vilitas ac iniquitas huius, & summa excellentia ac sanctitas illius: hic vt miserum mancipium, & infelicissimus, ille vt Dominus noster, & summè fælicissimus. Moysem S. Paulus ad Hæbr: 11. affirmat ausum educere populum Dei ex Ægypto, vbi captiuus tenebatur, nec quidquam veritum, *animositatem regis*, id est potentiam, indignationem & ferocitatem Pharaonis, qui eum erat insecuturus, & vniuersum populum Dei, si posset, occisurus.

Vt autem sciremus causam, vnde tanta magnitudo animi inerat Moysi, subiunxit idem Apostolus: *quia* inquit, *inuisibilem tanquam videns sustinuit*, id est Deum qui oculis corporeis non cernitur. Moyses fide tanquam sibi præsentem spectabat; & nos itaq; si Deum præsentem nobis hoc modo cogitauerimus, facile dæmonum insultus contemnemus. S. Diadochus lib: de perfect: c. 97. docet, hanc rationem esse pugnandi cum vitijs, & emundandi nos ab ijs, si continuâ Dei cogitatione occupemur. Deniq; S. Basil: in reg: breu: 127. docet efficax esse remedium, ad moderandas omnes affectiones nostras hanc præsentiam Dei. Nam ad obiectionem seu interrogationem: Non posse fieri, quin homo irascatur; ita respondet: *Esto fieri posse, vt miles præsente Rege irascatur, non tamen eo etiam id rationi consentaneum est quod dicitur: etenim si hominis præsentia eousq; valet, vt qui in æquali naturæ conditione constitutus sit, propter dignitatis tamen excellentiam turbatum alicuius animi motum possit comprimere; qui non tandem hoc facilius futurum existimandum est, si alicui persuasum sit, Deum cogitationes suas omnes inspicere? siquidem longe melius, qui scrutatur corda & renes Deus, motiones animi peruidet, quam homo ea, quæ oculis subiecta sunt.*

Vndecimò, vtilis est eadem cogitatio præsentiæ Dei, ad exercendas actiones omnium virtutum, & illas ipsas augendas in nobis. Si enim, vt vidimus, deterret nos, eripit, & præser-

uat à malis, id est peccatis, consequens etiam est, vt impellat ad bona, id est ad actus virtutum, cùm multa ex his debita sunt, ac proinde non possumus malum cauere, si constituamus à bono cessare. Docent quoq; hoc ipsum & SS. Patres, S. Aug: & Tho: l. c. S. Basilius verò reg: 5 fuse disp. *Hac, inquit, ratione, perpetuus in nobis timor permanebit, odio habens iniquitatem, & animi elationem & charitas conflabitur, cumulatè efficiens id quod dicitur à Domino: Non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris; cùm hæc firmißimè vsq; in animis nostris hæreat persuasio; & quæ rectè gerantur, ea iudici ac remuneratori nostrarum actionum placere; & quæ cōtra flagitiose, ab eodē cōdemnari.* & inferius, postquam multa dixisset, quid in nobis efficiat pia in animis nostris de Deo cogitatio, subiunxit. *Si quidem hæc est ratio, per quam erga Deum, acquiri Charitas consueuit, quæ simul cùm ad conficienda Dei ipsa mandata nos excitet, tum vicißim quoq; ab ijsdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conseruatur.* Thales Milesius, vt testis est Laert: lib: 1. dicebat homines existimare debere, Deos omnia cernere, Deorumq; omnia plena esse, atq; ita omnes fore castiores, si Deo teste & inspectore se omnia gerere crederent. De qua Sententia Cic: l. 3. de Leg: ait *Omnem virtutis Philosophiam hoc vno verbo vir Sapiens complexus est.* Quantò magis & veriùs Christiani erunt castiores & sanctiores, si cogitauerint se esse semper in oculis veri Dei ac Domini; suaq; omnia coram illo

cernente facere. Hinc mandat Dominus Abrahæ, Gen: 17. *Ambula coram me & esto perfectus*: seu vt alij legunt, *& eris perfectus*. Quod se præstitisse ipsemet dicit. Gen: 24. *Dominus in cuius conspectu ambulo*. est autem coram Deo ambulare, semper intueri Deum quasi præsentem sibi: & ideo cautissimè & deuotissimè coram eo incedere. Sic Enoch & Noe dicuntur ambulasse coram Deo, Gen: 5. & Helias Propheta de seipso, stetisse in conspectu Dei: 3. Reg: 17. Tandem hoc suadebat & ob eandem causam Tobias filio c. 4. *In mente habeto Deum*: videlicet obiectiuè, quoad iugem cogitationem & reuerentiam, & nec consenties peccato, nec præcepta Dei prætermittes.

Duodecimò & decimotertiò. Cogitatio hæc præsentiæ Dei, addit nobis magnum animum, tum ad subeundos omnes labores, difficultates ac pericula, quæ in via perfectionis occurrunt, tum ad vincenda eadem, deniq; replet nos spirituali lætitia. Omnia hæc expertus est in seipso ex hac cogitatione præsentiæ Dei S. Propheta: & ideo dixit Psal: 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*: & ne putaremus, quomodocunq; illum cogitasse de Deo, tanquam de otiante, & non considerante actiones illius, idq; tum ad instruendum ipsum, quomodo se gerere in illis debeat, tum ad animandum, tum ad succurrendum eidem, deniq; ad lætitiã implendum, subiunxit: *Quoniam à dextris est mihi ne com-*

bi ne commouear: & propter hoc lætatum est cor meum, &c. Idem de se testatur Psal: 76. vbi postquam dixit, se nolle lætari de voluptatibus huius mũdi: *Renuit consolari anima mea*: subiunxit. *Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus, & defecit Spiritus meus*: quasi dicere vellet: Memoria præsentiæ Dei, magnam mihi iucunditatem attulit, ac animum addidit, vt me exercerem in meditando seu considerando cælestia, & in actionibus virtutum, ita vt halitus meus præ magnitudine gaudij penè deficeret. Ita hunc locũ integrum explicat Card: Bellarm: ibi, & probat hoc ex fonte Hebræo. Hæc eadem quæ expertus fuerat in se S. Dauid, experiri quoq; in se S. Iob cupiebat, & propterea dicebat Deo: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*: quasi dicere vellet: Fac vt cogitem de te quod mihi sis præsens, & auxilio tuo præsto es, ac me ad pugnandum roboras; & nullos hostes timebo. Solet sæpè dicere Deus iustis, positis in tribulatione aut periculis, addens illis animum: *Numquid non cœlum & terram ego impleo*, Hier: 23. Iudas & milites eius, vt legimus 2. Machab: 15. quamuis impares hostibus fuissent, nihilominus præsentiâ Dei magnifice delectati, irruerunt in illos, & multa millia illorum prostrauerunt. Idem eueniet nobis pugnantibus contra multitudinem dæmonum, &c. si præsentẽ Deum, vt decet, mente voluemus. Tandem exhilaratur tota terra, & ipsi homines exultant ad so-

lis exortum: quantò magis anima iusta, veræ lucis, id est Dei, præsentia lætabitur.

Decimoquartò, decimoquintò, & decimosextò: Memoria præsentiæ Dei facit, vt Oratio nostra ad Deum attenta sit, deuota & reuerens, ac consequenter placeat Deo, ac tandẽ exaudiatur ab illo, quod plurimùm prodesse ad perfectionem acquirendam vidimus. Præstari verò hæc Orationi à consideratione præsentiæ Dei, docent SS. Patres, Magistri spirituales, experientia, & deniq; ratio. Certè S. Basil: in reg: breu: q. 21. hanc solam causam assignat, desidiæ mentis in Oratione, quia non satis Dei numen præsens agnoscitur. Et propterea P. Petrus Faber, vnus ex primis Socijs S. P. Nostri, experientià edoctus, alios scriptis suis monuit dicens: ad coercendam mentem in Oratione, valere plurimum, si quis Deum præsentem agnoscat. Climacus verò gradu 18. sic de hac re dicit: *Is enim qui dum orat, Deo se assistere intimo cordis affectu existimat, vt columna immobilis perstabit*: id est cord: non euagabitur, *& à nullo hostium suorum* scilicet dæmonum, *irridebitur, quod scilicet indeuotè, irreuerenter & tepidè oret: qui nihil magis curant in nobis impedire, quàm Orationis exercitium.* Solemne est hoc institutum diabolo, vt ait idem Clima: l. c. eodem tempore, quo spirituali tubæ signo conuocantur fratres ad orandum: dæmones etiam ad eos perturbandos conuenire. & S. Nilus de Orat: c. 47. scripsit, Vniuer-

ſum bellum, inter nos ac dæmones eſſe, nonniſi de Oratione: quod expertus eſt in ſe magnus Antonius, vt in vita eius legimus. Rectè igitur idem Clim: vltimò gradu concludit: Beatos nos fore, ſi ſic coram Deo perſtiterimus in Oratione, ſicut aulici perſtant coram Rege ſuo, id eſt attenti, compoſiti, timentes ne quid illi diſpliceat, deniq; ad omnia iuſſa illius parati. Sed reuerentiam, attentionem ac deuotionem, naſci ex cogitatione præſentiæ Dei, etiam experientiâ habemus; nam ex cogitatione alicuius perſonæ excellentis, ſubitò componimus nos ad modeſtiam & reuerentiam: multò igitur magis ex cõſideratione præſentiæ Dei, &c. Deniq; ratio hoc ipſum aſtruit. Nam reuerentia eſt affectus animi, ex conſideratione magnitudinis & excellentiæ perſonæ alicuius excitatus, quo interius, & cùm oportet exterius, ſignis ſubiectionis ei nos ſubmittimus, atq; adeo ipſũ veneramur & colimus: ex reuerentia verò attentio oritur, & ex hac deuotio. Addo Germanum, qui apud Caſſi: col: 10. c. 7. maius quidpiam aſſerit, de cogitatione præſentiæ Dei, reſpectu Orationis; ait enim huiuſmodi conſiderationem, principium eſſe Orationis: & rectè. Oratio enim eſt colloquium hominis cum Deo, nemo autem abſentem alloquitur, ſed illum quem & adeſſe putat, & intentum ſuis verbis exiſtimat, quare vt Deum alloquamur, præſens is conſiderandus eſt.

Habemus igitur, plurimum iuuare nos, imo & necessariam esse ad perfectionem consequẽdam, frequentem considerationem modo explicato numinis diuini: & hæc causa sine dubio est, cur S. Scriptura hortatur nos ad considerationem præsentiæ Dei; quæ res quia obuia est ex eadem vnicuiq; & non spectat ad præsentem nostram tractationem, à me silentio intacta præteritur.

CAPVT LIV.

Diffidentia propria, seu de se, requiritur ad obtinendam Perfectionem.

DIffidentia sui, est affectus submissus, quo quis suam imbecillitatem considerans, & ad malum procliuitatem intelligens, prorsus ineptum ad perfectionem proprijs viribus acquirendam se sentit. & in hoc labore vtilissimo ac necessario, non de seipso, sed de diuina bonitate, eum adiuuante præsumit. Necessarium verò esse huiusmodi affectum, ad acquirendam perfectionem; colligi potest ex S. Scriptura, & docent SS. Patres, & deniq; ipsa ratio suffragatur.

Quod attinet ad primum: ex S. litteris colligimus, primò delectari Deum, cùm nos in rebus arduis de viribus nostris diffidimus, & Dei præsidijs nos indigere, ad eas faciendas vel superandas, agnoscimus. Sufficiat exemplum ex

1. Para-

1. Paralip: 20. Iosaphat enim Rex, fortissimos aduersarios Moabitas, & Ammonitas, deuicit hac precatione ad Deum præmissa: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos, sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Placuit Domino diffidentia ista Iosaphat, eiusq; Orationem exaudiuit, & hostes in semetipsos conuersi, ingenti miraculo, mutuis vulneribus concidêre. Multò magis nos diffidere debemus de viribus nostris, quandoquidem longè plures, ac potentiores habemus hostes, cum quibus nobis pugnandum est in via perfectionis; quos vincere, sine multis & ingentibus miraculis non valemus. Secundò, colligimus ex eadem Script: Deum, ne in nostra virtute cõfidamus, sæpè per seipsũ aliqua facere, non adhibita vlla, vel parua aliqua industria & labore nostro: vnde cùm Gedeon magnum exercitum ad bellum educeret Dominus, Iudicum 7. ait: *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manu eius, ne glorietur contra me Israel, & dicat: meis viribus liberatus sum:* Itaq; trecentis hominibus Madionitarum & Amalecitarum, innumerabilem multitudinem in fugam Gedeon vertit: immisit enim Dominus gladium in castra, & mutua se cæde trucidârũt, Tertiò tandem, eos qui multum in suis viribus confidunt, à Deo confundi. & ideò Apostolus dicit ad Rom: 9. *Israel verò sectando legem iustitiæ,*

in legem

in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed ex operibus: hoc est vt ibidem explicat S. Ansel. *Quia non sperauit in Deum, nec illam petijt à Deo sed quasi iustitiam per semetipsum operans, nec credens eam in se operari Deum; ideo non est assecutus iustitiam, quam sine Deo, gratia illius auxiliante, nemo assequi potest; quia ipse est qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Hæc ille. Multò verò magis id asseri debet de perfectione. è contrariò verò homines qui huiusmodi rebus confidunt in Deo, multum prosperari. Hinc dicitur Eccl: 3. *Qui confidit in illo*, id est in Deo, *non minorabitur.* & *Non est confusio confidentibus in te Domine.* Dan: 3.

Quod attinet ad secundum, vnanimi consensu statuunt sancti Patres. & Magistri Spirituales, neminem ad perfectionem posse pertingere sine hac præuia scientia, & praxi diffidentiæ propriæ. Ita affirmat de ipsis Cassian: lib: de institut: renũciat: c. 13. & 23. item lib: 12. de Spiritu superbiæ, c. 13. *Aiunt* inquit, (Patres scilicet) *non posse ad purum quempiam carnalibus vitijs emundari, nisi vniuersum laborem suum atq; conatum ad tantæ perfectionis finem, intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei & adiutorio comprehendi.* Audiamus iam ipsos sanctos Patres, S. Aug: qui Serm: de S. Vincent: sic ait: *Nemo de corde suo præsumat, quando profert sermonem; nemo de virtutibus suis confidat, quando suffert tentationem; quia & vt bona loquamur prudenter, à Deo, non nostra*

sapientia, & vt mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia. Multò certè magis diceret hoc Sanctus iste de ipsa perfectione: quamuis etiam hoc ipsum, quod dixit, ad perfectionem assequendam requiritur. S. Bern: postquam multis docuit, Serm: 22. in Cant: nonnisi in doctrina Christi addisci veras virtutes, subiungit: *Incassum proinde quis laborat, in acquisitione virtutum, si aliunde sperandas putat, quàm à Domino virtutum, cuius doctrina seminarium prudentiæ, cuius misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculum temperantiæ, cuius mors insigne est fortitudinis.* S. etiam Ambros: docet, multos qui iam peruenerunt ad apicem sanctitatis, decidisse inde, ideò, quia profectus suos in se constituerunt. S. Greg: expl: lib: 22. mor: c. 2. verba illa Iob, c. 31. *Si putaui aurum robur meum, & obryzo dixi fiducia mea. Sanctus vir nihil horum fiduciam credidit, quia spem ac delectationem suam in solius gratia conditoris fixit. Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere est, in rebus labentibus, spei fiduciam velle solidare: stante enim in perpetuum Deo, transeunt omnia. Prius itaq; curandum est, ne quis temporalia diligat, ac deinde ne in iisdem temporalibus quæ non ad delectationem sibi, sed ad vsum retinet, fiduciam ponat, quoniam coniunctus decurrentibus, mox statum suum animus perdit.* Idē docet Ricar: Victor: c. 21. in Cant: *Impoßibile est quempiam de seipso triumphare, donec experimento didicerit propria virtute, se triumphum non obtinere posse.* Cassian: quoq; ex sua sententia 12. de instit: Cœno-

bit: c. 23.

bit: c. 23. *Vnumquemq́ž*, inquit, *credere oportet, quod sine protectione Dei & auxilio eiusdem, per singula momenta sibi delato, perfectionem quam cupit, & ad quam magnoperè currit, se penitùs obtinere non posse.* Deniq; Serapion apud eundem Cassian: coll: 5. c. 14. etiam de qualibet passione, triumphum promereri dicebat impossibile esse homini, priusquàm intellexerit, industriâ, vel labore proprio, victoriam certaminis semet obtinere non posse.

His omnibus ratio etiam suffragatur, quia perfectio peculialiter soli Deo tanquam authori attribuitur, & ita res est ardua, vt viribus nostris eam consequi non possimus: oportet igitur, vt agnoscamus nobis deesse vires & facultates, diffisiq; de ijs ad ipsum auxilij gratia recurramus; quæ omnia vid: in super. Necessaria est ergo nobis nostri diffidentia, ad quærendam perfectionem, & eam acquirendam.

Media verò, quibus amator perfectionis comparabit sibi hanc tam salutarem diffidentiam, præter illud commune pro omnibus necessitatibus nostris, nempe Orationem: primum est, cognitio imbecillitatis propriæ, vt patet ex dictis iam, quæ etiam donum Dei est & petenda ab eo, vt vid: c. 40. Secundum est, cognitio huius alterius veritatis: perfectionem donum Dei esse, ad quod obtinendũ non sufficiunt vires, & industria nostra; quod clarũ est ex dictis supra.

CAPVT

CAPVT LV.

An Superior in nostra Religione teneatur curam habere, vt nostri, qui sub ipsius regimine sunt, quærant Perfectionem, & proficiant.

VT res hæc melius intelligatur, præmittenda sunt aliqua, & maximè, quæ totam curam Superiorum nostrorum concernunt.

Primò igitur, nomine curæ intelligitur, diligentia, sollicitudo, & vigilantia; quæ impendi debent subditis.

Secundò: Superiorem vnumquemque in Religione, cùm sit Prælatus, plures personas gerere, Patris videlicet spiritualis, iudicis, medici, & vigilis. Deducunt hoc & ostendunt cõmuniter Doct: ex vi nominis Prælatus. Agnoscunt hæc S. Tho: quodl: 11. a. 13. S. Bonau: in c. 17. Lucæ, & S. Aug: 2. 2. q. 5. Et ita Superior, quatenus iudex, recipit accusationes ex officio, & pro compertis delictis pœnas infligit, quia communitatis interest, delicta puniri, vt cæteri metu compescantur: quatenus verò pater, habet præ oculis bonum singulorum; & ipsius est, non tam punire peccata, quam remedia adhibere: vox enim Pater & potestatem dicit, & pietatẽ, sed hanc magis. Multò verò magis, quatenus medicus est, competit illi remedia accommodata adhibere, ac morbos spirituales suorum

subdito-

ſubditorum curare: deniq; quatenus vigil eſt, præmonere & præcauere debet de periculis, & alijs malis imminentibus, damnis proſpicere & occurrere: hæc enim ſpectant ad cuſtodiam.

Tertiò: Superiorem in Religione multiplicem curam gerere, & corporũ videlicet ſuorum ſubditorum, & animarum, corporalem & ſpiritualem, externam & internam; deniq; eam quæ ſpectat ad diſciplinam, & quæ ad cuſtodiã. Sequitur hoc ex præcedentibus, ipſi enim ex officio incumbit, paterno affectu ea quæ ad religioſam ac frugalem ſuſtẽtationem requiruntur procurare, & eodem, & multo maiori animæ ſpirituali indigentiæ, occurrere: quod clarè regulæ 25. Rectoris, & 26. Præpoſiti, præſcribunt: *Subditorum neceſſitatibus, non corporis tantùm, ſed multò magis etiam animæ, paterno affectu proſpiciat.* Et hæc cura Superiorum in Religione, ſpiritualis eſt, ac potiſſima. Spiritualis quidem, quia ſe extendit, non ſolùm ad externa ſpiritualia ſubditorum, ſeu exteriorem religionis pacem, ac tranquillitatem; ſed etiam ad interna, vitam ſcilicet ſpiritualem eorundem. Cùm vita ſpiritualis in omnium vitiorum fuga, aggregatione virtutum, ſeu gratia ſanctificante, ac exercitio bonorum operum conſiſtat. Vt verò religioſa ſit, obſeruationem ſollicitam, tum votorum, per quæ Religioſi ſe Deo conſecrârunt; tum regularum proprij inſtituti, requirit. Sicut enim vitam militarem non vna pugna ef-

ficit, &

ficit, & militem esse, non est semel pugnasse: ita non dicitur homo spiritualis, qui opus aliquod bonum semel in die frequentauerit, & reliquum tempus in mundanis negotijs insumpserit; sed qui relictis actibus sæcularibus, vitam bonis operibus, ac virtutum adeptioni iam cõsecrauerit, & per vota, vt sit Religiosus, effecit: in his omnibus re ipsa se exercens, ac in finem vitæ spiritualis, qui est Deus, regnum cœlorum, sanctitas, seu perfectio, omnia sua dirigens. Potissima verò est hæc cura Superiorum, quia circa potiorem partem. Et propterea in Instruct: nostra 14. c. 2. §. 2. monentur nostri Superiores, vt curẽt ab inutilibus occupationibus liberi, toti in suorum subditorum internam curam, & spiritualem profectum omninò incumbere. Explicatur autem ibi, in quo hæc cura interna posita est.

Quartò: Superiorem habere curam spiritualem in Religione subditorum suorum, est impellere eos ad virtutes, docendo, persuadendo, vrgendo, occasiones dando, impedimenta tollendo, corrigendo, reprehendendo, castigando, deniq; orando pro illis. Docet hoc S. Greg: in pastor: maximè 3. p. vbi expressè hæc verba habet: *Debet exercere subditos ad virtutem.* & B. Laur: Iustin: de instit: ac regimine Prælatorum. S. Bonau: in libello aureo de sex alis, in quo continetur magisterium religiosæ gubernationis: deniq; Constitut: nostræ, 4. p. c. 10.

§ 8. & in capite 3. regul: Rectoris & Præpositi. De cura nostrorum in spiritu, reg: 21. & 22. quæ sic habet: *Det operam, vt Constitutiones & Regulæ obseruentur, omnibus domesticis cum omni sollicitudine inuigilet, eosdemq́; ab ijs quæ nocere possunt, domi & foris defendat, tum præueniendo, tum etiamsi quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita vt in virtutibus & literis proficiant.*

Quintò: Superior in Religione ad facienda prædicta, habet potestatem à Deo, vt potè, vices Dei gerens in gubernandis subditis. Munus illius est, non solùm esse interpretem diuinæ voluntatis, sed & instrumentum gubernationis diuinæ; instrumentum inquam, excitans & impellens subditos, ad finem suum consequendum, nimirum ad acquirendas virtutes & perfectionem. Patet quidem hoc ex iam dictis, sed & constat ex S. Script: & SS. Patribus. Sanctus Paulus disertè docet, *Rom*: 13. non esse potestatem, nisi à Deo: *quæ autem*, inquit, *sunt à Deo, ordinata sunt: itaq; qui resistit potestati, Deo resistit.* Vbi Irenæus: *Potestas Prælatorum non est ab ipsis, sed à Deo profecta est*; *quia*, inquit, *quæ sunt potestates super alias in mundo, vt docet Apostolus, à Deo ipso ordinatæ sunt; ac proinde qui eis reluctatur, non soli homini, sed Deo quoq; reluctatur.* Confirmatur hoc alijs testimonijs S. Script: nam Dominus ad Samuelem à munere imperandi reiectum dixit: *Non te abiecerūt, sed me, ne regnarē super eos*; 1. Reg: 8. Et Moyses (per quem significantur Prælati Re-

ligioso-

ligiosorum) ad Israëlitas: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*; Exod: 16. Et hæc est causa, cur Deus seuerè puniat subditos, cùm Prælatos non audiunt, vel illis detrahunt; vt & puniuit Aaronem, ac Mariam, *Num*: 12. quia murmurauerunt contra Moysen, quos & reprehendit, & Mariam formidabili lepra percussit. Similiter castigati sunt Chore, Datan, & Abiron, c. 16. quos propter murmurationem viuos terra dehiscens absumpsit; vt ignitos taceam serpentes, quos ira Dei vindice in populum seditiosum, non sine ingenti strage immissos legimus, vt simile flagitium expiaret. Quod autem attinet ad SS. Patres, sufficiat nobis vnius S. Basil: testimonium, qui postquam personam Superioris, seu Antistitis, in Constitut: monastic: c. 23. definiuit, docet, Superiores spirituales à Christo potestatem habere: *Atq; hoc*, inquit, *ab ipso Christo docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se constituit: omnibus quoq; pastoribus deinceps eandem potestatem tribuisse.*

Sextò: multum obligati sunt Superiores in Religione, vt munus suum exequantur. Colligitur hoc inprimis ex ijs, ad quæ verè magna & ardua in susceptione huius muneris, Deo se obstringunt: vt scilicet, iuxta ipsius Domini vocem, *Ezech*: 34. quod infirmum est ex ouibus, id est subditis, consolident, quod confractum alligent, quod abiectum reducant, quod perierat quærant: quæ omnia vt optimè notat S. Ba-

fil: reg: ful: disp: respons: 30. debent excitare Superiorem, vt magno affectu & sollicitudine, curam sanandi fratres suscipiat, & demittat se, ac humiliet, considerans munus suum simile esse illius, qui saucijs ministrat, & saniem de singulis illorum vulneribus abstergit; quo munere is nō ad animi elationem, sed ad demissionem potiùs, solicita cura vti consueuit. *Adhibere ergo debet Superior, aßiduam industriam & vigilantiam*, inquit Cass: lib: 10. c. 7. *circa susceptos suos*; id est, circa eos, quos spiritualiter curandos in suam fidem & periculum suscepit. Colligitur præterea magnitudo eiusdem obligationis Superiorum, partim ex magnitudine peccati quod cōmittunt, cùm muneri suo non satisfaciunt; partim ex grauitate iudicij diuini. S. Paulus affirmat, *1. Tim*: 5. eos qui curam suorum non habēt, esse infideli deteriores, quia scilicet, quod fides Christiana præcipit, & quod infideles absq; lumine fidei, rationis solius ductu præstant; illi negligunt, & quodammodo contemnunt; vt notauit S. Chrysost: hom: 14. in eum locum Apostoli: *Boni Superiores, aduigilant, ne huius peccati rei sint, sed quidquid subditis ad corpus & animam, necessarium est, prouident.* Redditúri ad hæc sunt Superiores Deo rationem, de vnoquoq; subditorum, vt docet idem Apostolus, ad *Hebr*: 13. & durissimam quidem rationem, vt ait Sapiēs, c. 6 *Iudicium durißimum ijs qui præsunt.* Imò ipse Deus, requiret de manibus Superioris, vnum-

quemq;

quemq; subditum; ita enim de seipso loquitur, Ezech: 30. *& requiram quod periit.* Sed & nostra Statuta docent in Industrijs, c. 1. Superioribus in Societate, prouinciam delegatam esse, sanandi infirmos subditos in anima, de qua Deo rationem reddituri sunt.

Septimò: magnum est hoc onus Superiorum, & plenum periculi, quia vt ait S. Bernar: ep: 73. est onus animarum & infirmarum: *ac propterea*, inquit, *sciant se missos iuuare, non iuuari.* Colligitur hoc ex iam dictis. Hoc etiam, meo iudicio, Deus indicare voluit, cùm *Exod*: 4. volens facere Moysem Ducem populi, iussit eum proijcere virgam, quam in manu habebat, quæ versa est in serpentem: ostendit enim hoc signo, virgam gubernandi, (sæpè enim gubernationem in S. Script: virga significat) speciem habere serpentis, id est periculorum; quam si iussu Dei Superior acceperit, & in manu vibrauerit, adhibendo scilicet debitam vigilantiam & prudentiam, futuram illi in virgam omnipotentiæ, & multorum bonorum, ne dicam miraculorum, in vtilitatem animarum operatricem. Et propterea S. Aug: lib: 10. Confes: c. 4. dicit Christo, se quidem fungi officio Superioris, cum ingenti periculo, tamen sub alis illius: *quæ me*, inquit, *res consolatur, & quia nota est infirmitas mea tibi.* S. Dauid regni gubernatione distractus, indicat prælationem esse onus: portat enim Superior homines, imò & imperfectio-

nes ipsorum, iuxta illud: *Imposuisti homines super capita nostra*, Psal: 65. ac proinde sicut infælix est, qui ipse sibi hoc onus imponit; sic cælesti consolationum rore irrigabitur, qui Dei voluntate huic cœlo Atlas humeros supponet. Sanctus quoq; Iob affirmat, prælationem esse onus, sic enim Deum affatur, c. 9. *Deus, cuius iræ nemo potest resistere, & sub quo curuantur, qui portant orbẽ:* Prælatos, Principes, & Reges intelligens, quorum est subditos suos, quasi gestare humeris, ne tentationum ac vitiorum pondere pressi succumbant: curuantur autem sub Deo, cuius iræ nemo resistit, quia sciunt se iudici seuerissimo, de onere sibi credito, & animabus subditorum in custodiam acceptis, rationem reddituros. *Magnum profectò onus, imò non vnum*, inquit S. Greg: 9. mor: cap: 10. *sed tot pondera vnusquisq; sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur.* Non solùm autem multa sunt & grauia pondera Superioris, ait B. Iustin: de discipl: monast: c. 9. sed & plena periculi: *Proinde*, inquit, *onus graue, & valde formidabile esse, comprobatur animarum regimen.* Hoc deniq; indicat S. Greg: cum p. p. pastor: c 1. ait: Artem artium esse curam animarum. Quomodo ergo hodie, & qua fronte, à multis ambitiosè desideratur?

Octauo: Superiores, quò muneri suo & obligationi satisfaciant, necesse est, vt tam quoad exteriorem, quàm quoad interiorem hominem, subditos cognoscant. Sequitur hoc ex di-

ctis supra: & ratio ipsa ostendit, & deniq; docent SS. Patres, & Magistri vitæ spiritualis. Sic inquiunt illi, sentiendum est de vita spirituali, de sanitate animæ, & de perfectione eiusdem, ac de adeptione corporalis valetudinis. Sicut enim vt salus corporis proueniat, ad medicum spectat vim morbi cognoscere, ætatem, robur, imbecillitatem, & reliquas qualitates ægri considerare, aptaq; remedia præscribere; ad ægrotum verò solùm pertinet obedire, & quod sibi imperatum fuerit à medico, aut agere, aut pati: Ita medici spiritualis, scilicet Superioris est, subditorum ingenia noscere, defectus ac virtutes eorum callere, mala præuenire, denique remedia ad progrediendum in spiritu adhibere: subditorum verò obedire, atq; à præscripto Superioris ne latum vnguem discedere. Patris etiam est, scire necessitates filiorum, Ducis militum, & Pastoris ouium suarum prouidere indigentiæ, vt eas dirigat & gubernet. Superior verò, Religiosus, Pater, Dux, pastor est subditorum, ac proinde opus est, quod principem inter eius officia locũ tenet, vt agnoscat vultum, non externum solum, sed & internum, atque adeò totum statum animę & corporis illius, quẽ regendum suscepit. Sicut enim medicus, vt iam diximus, nisi ægrotantis corporis constitutionem, morbumq; ipsum, quantumuis latentem, acutissimè inuestiget, in cassum in ægro curando laborat: Sic Superior, Religiosus, nisi sub-

ditorum suorum propensiones, mores, talenta, dotes ac vires bene intelligat, ad ipsa etiam cordis secreta, & occultas ipsorum, quantum fieri potest, conscientias, vt docet S. Bonauent: l. c. c. 7. animiq; ægritudines perueniat, nunquam eos bene regere poterit; & nec sanare infirmos, nec valentes confirmare, nec euitare ne quandoq; onus illis aliquod ex obedientia, vel maius quàm ferre possunt, imponat, vnde in pusillanimitatis & impatientiæ deferantur scopulos; vel minus & leuius, vnde torporis & laxitatis vadis quodammodo inhærescant: quam rem fusè tractat Scribanius in medico Religioso, c. 2. & 3. Hanc notitiam debere esse in Superiore; supponit tanquam certum S. Basil: in Constit: Monast: c. 23. & propterea asserit, vnumquemq; de facto moderatorem, qui modo intelligens est, tenere vniuscuiusq; subditi mores, affectus, ac animi motus, quibus etiam singulis accommodatum remedium adhibet. Supponit & S. Greg: 2. pastor: c. 2. ideòq; affirmat, portare Sacerdotem rationale iudicij, quia debet Rector subtili examine, bona malaq; subditorum cernere, & quæ, vel quibus, quando, vel qualiter congruant, studiosè cogitare. S. verò Ephrē, Serm: de vita spirituali, n. 36. requirit etiam istud à Superiore, vt *peritißimus sit, & ad consulendum saluti subditorum vigilantißimus, vtq; singulorum obseruet incessum, motum, gestum, habitum, adhibitâ etiam debitâ earum rerum correctione quæ minus cōueniunt, vt*

niunt, vt ad optimum ea ſtatum, formamq́ reducantur. Magiſtri enim, non ſolum elementorum figuras diſcipulis oſtendunt, ſed & minima quæq́ puncta, diſtinctioneſq́ inculcant. Sic igitur oportet prælatum, nihil quantumuis minimum, quod ad ſalutem pertineat omittere, quin id fratribus proponat. Hæc ille. Et S. Hieron: inſtruens Superiorem, ſuper illa verba, Prou: 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſq́ greſſus conſidera*; ſic ait: *Diligentem adhibe curam eis, quibus te præeſſe contigerit, cognoſcendo animos, actusq́ ſingulorum; & ſi quid in eis vitij ſordidantis inueneris, citius caſtigare memento.* Bene de hac re, & Proſper de vita contemplat: lib: 2. c. 2. *Præpoſiti ſpeculatores ſunt*, ait, *quia ſpeculantur actus hominum, & qualiter quiſq́ viuat diligenter explorant, quos bonos probauerint, honorando confirmant, quos verò deprehenderint vitioſos, arguendo deterrent.* Et S. Chryſoſt: de Sacerdotio: *Sexcentis oculis opus eſt paſtori, vt rectè vndiq́ animi humani habitum circumſpicere poſſit. Nullæ res etiam paruæ lateant Superiorem, ſi ſapienter præeſſe velit, ſic enim omnes in officio continebit.* Hoc deniq; docet & P. Claudius Generalis noſter, in inſtructione ad Superiores, & in induſtrijs; vbi etiam triplicem indicat neceſſitatem huius cognitionis: primam ſcilicet & ſecundam in priore libello, tertiam in poſteriore. Vt nimirum Superior ſatisfaciat muneri ſuo, neque ipſe erret, infirmos ſanet, & deniq; vt defectibus ac erroribus ſubditorum, ne committantur, occurrat: ſerpit enim hæc imperfectionum ſcabies latius,

ſi vel à Superiore ignoretur, vel negligatur. Quod ne fiat, explicat idem P. Claudius in eodem libello poſteriore, non ſolùm præcipuos morbos ſpirituales, quibus Religioſi homines laborare poſſunt, & eorum qualitates, cauſas, ſimptomata, ſeu ſigna ac remedia aſſignat; ſed etiam varios modos, ex quibus poteſt Superior deuenire in notitiam morborum, quibus ſubditi ipſius laborant, & plenè cognoſcere ſtatum ipſorum, eo modo quo iam audiuimus, proponit. Primus eſt, vt fidos vigilanteſq; Syndicos habeat, & adhibeat, qui aliorum morbos, quoad actus ipſos extrinſecos obſeruent, & Superiori detegant; deinde vt Miniſtri, & aliorum prudentum, de ſubditorum religioſa conuerſatione, ſententiã exquirat: qua in re nullum eſſe peccatum, aut ſuſurrij contra Charitatem, aut detractionis; ſi nempè defectus fratrum aperiantur Prælato, etiam non præmiſſa correctione, in illis qui ſuo iuri renuntiarunt, vt nos renuntiauimus (quod patet ex Reg: 9. & 10. Sũmar: Conſtit. & ex libro Ordinationum, c. 15. de manifeſtatione delicti.) optimè docet Aluar: tom: 1. de perfectione, p. 3. lib: 3. c. 27. modo tria documenta circa hoc obſeruentur, quorum aliqua etiam tangũtur in cit: Ordinat: numero 6. ne ſcilicet iratus & indignabundus, ſed animo pacato & tranquillo fratris defectum Superiori manifeſtes; ne animo & voluntate lædendi ipſum, & vt puniatur à Superiore; ſed

eo solo desiderio permotus, ac proinde ex Charitate, ne vt ait Apostolus, Apoc: 22. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui sordet, sordescat adhuc.* Deniq; vt sincerè, & sine vlla exaggeratione, defectū fratris vt commissus est, reueles: neque incerta pro certis, neque suspiciones friuolas pro factis adducas; nec intentionem in malam partem explices, nec numerum adijcias; neq; quia patrauit defectum, eo ipso ex prauo illum habitu admisisse comminiscaris. *Aliud est enim*, inquit B. Dorotheus doctr: 6. *dicere quòd frater iratus sit, atq; aliud quòd iracundus: quia scilicet hoc non vnam actionem tantùm, sed totam eius vitam aperit, atq; commaculat* Secundus modus comparandæ cognitionis subditorum est, vt ipse Superior actiones externas & internas, virtutes, ac ægritudines eorū, paterno affectu ac sollicitudine obseruet, & industria sua, per externa signa & indicia, aperiat sibi aditum ad ea, quæ sunt occulta, quoad poterit, cognoscēda. Docet hoc & S. Greg: 2. par: pastor: c. 10. & lib: 26. moral: c. 5. *Nonnulla* inquit, *subtiliter & occultè sunt perscrutanda, vt quibusdam signis erumpentibus, rector in subditorum mente quid clausum lateat, inueniat, & interueniente correctionis articulo, ex minimis maiora cognoscat, & ex illis, quæ ipse sponte manifestat, maiora, quæ latent deducat. Vnde rectè ad Ezechielem dicitur c. 8. Fode tibi parietem: & quid est fodere parietem? nisi acutis inquisitionibus duritiam cordiū aperire.* Facile autem præstabit hoc Superior, si prudens fuerit practicus,

& diui-

& diuinum lumen habuerit. Vt etiam hanc cognitionem subditorum acquirat Superior, illi probandi sunt & tentandi, aliquando & occasiones dandæ, tum virtutum exercendarum, tum proficiendi. Probat hoc Ludouicus Ponte tom: 3. tract: 5. c. 4. vbi etiam ad longum refert sententiam super hac re Climachi ex gradu 4. cuius summa hæc. Sicut crudelitatis esset esurienti paruulo, panem ex ore extrahere, ita ingens, inquit, detrimentum adfert Pater Spiritualis, cui regendarum animarum cura incumbit, nisi sollicitè curet dare semper illis occasiones, in quibus coronas omnes sibi comparent, quas iuxta vires suas obtinere possunt, etiamsi ad id opus sit ignominias & contemptus adhibere, & præcepta proponere rerum asperarum, abiectarum, & quæ pænam aliquam inferant. Priuant enim illos tribus ingentibus commodis; magno scilicet augmento virtutum ac meritorum, quæ his probationibus sibi compararent; & profectu ac vtilitate, quam alijs socijs remissioribus, heroicis suis exemplis adferent: Deniq; feruore & constantia, quam in virtutibus sensim acquirerent. Docet hoc & P. Claudius in ep: ad Prouinciales; & dat rationem: vt & Religio, quãdo nondum satis habet cognitos subditos, intelligat quantarum virium ac virtutum sint, & ipsi seipsos cognoscant. Sic suos solebat exercere B. P. N. Ignatius, vt ab illis qui cum eo vixerunt, accepimus. Tertius & vltimus modus

habendæ cognitionis subditorum est, vt superior exigat ab illis ipsis conscientiæ rationem, quo par est modò, vt omnia, scilicet sua ei penitus aperiant ac manifestent; ita etiam docet S. Basil: reg: 26. & propterea instituta est quoq; apud nos hæc ratio detegendæ conscientiæ: vt scilicet subditus meliùs noscatur à Superiore, gubernetur, iuuetur, ac in via perfectionis dirigatur. Finis enim huiusmodi manifestationis est, auxilium subditi, directio, victoria contra omnia vitia, passiones inordinatas, ac dæmones: virtutum lucra & merita apud Deum: deniq; profectus in perfectione. Si autem superior bene nos cognouerit, iuuabit, vt nos ipsos vicissim bene cognoscamus; & hic est alter fructus rationis conscientiæ. Debere autem Superiorem non solùm exhortari ad hoc præstandũ subditos, sed etiam hanc rem promouere, docetur in instructione 12. in qua etiam iam supra nominatæ vtilitates, & aliæ, quas subditus refert ex redditione rationis conscientiæ, pulchrè explicãtur: quod præstat etiam Ludouicus Ponte, lib: cit: tract: 6. c. 23. Vt autem subditi in Religione nostra cum maiori suauitate, alacritate, fiducia, puritate, ac humilitate (hæc enim requirit B P. N. ad rectè reddendam rationẽ conscientiæ) seipsos totos aperiant, suis Superioribus, inter alia, quæ in citata instructione præscribuntur superioribus, duo sunt: Vnũ est secretum & cautela, scilicet ea, quæ ex ra-

tione con-

tione conscientiæ alicuius, de ipso, ab ipso habuerint, alijs minimè aperiant, multò minùs ad consilium consultandi causa, quid facto opus, referat, nisi subditus ipse hoc permiserit. Quod si verò aliquis superior in hac re fuerit solutior, aut minùs quàm debet accuratus, pro grauitate culpæ à Prouinciali vel Generali puniri debet, ac si necesse erit etiam ab officio amoueri, vt sic subditi, omnes suspicionum vmbras, quæ in illis oriri possint, efficacius exuant penitus ex animo. Alterum, vt notitiâ hac, nisi forte aliunde eam habuerint, cum offensione subditi, ad gubernandum illum ipsum non vtantur; ne scilicet variarum suspitionum, quæ oriri possent, ansam præbeant.

Nonò, debet quoq; Superior, subditorum suorum morbos curare, atq; vt ab ipsis sanentur, omnem operam adhibere: quæ res clara est ex præmissis. Vt autem hæc curatio benè succedat, hoc primò præstandum medico spirituali, nimirum Superiori, vt ipse infirmus morbũ suum agnoscat: ordinariè enim ægri hi spirituales, morbum suum inter alia magis ignorant, nec cùm illum præsentiscant, ab eo sanari cupiunt, medicã manum refugiũt, & curationẽ difficulter admittunt; cuius contrariũ omninò ordinariè in morbis corporis euenire cõsueuit. Dicendum igitur infirmo, peritos medicos, habere signa quædam latentium morborum, qui interdum alios & ipsum infirmum fugiant, quare

ijs potiùs

ijs potiùs credendum, cùm præsertim superbiæ & amoris proprij nube, oculus animi obductus, difficulter admodum suas ægritudines agnoscat. Declaret deinde illi morbum quo laborat: impellat postmodum ad examina diligentiora sui ipsius, vt scilicet morbum suum hac ratione inuestiget, item ad seriam Orationem; quippe ex defectu luminis & sensus spiritualis prouenit hæc ignorantia: indicet etiam illi signa aliqua morbi, quæ negare non potest; quanquam talis morbi signa esse non nouit, vel non aduertit: deniq; manum operi admoueat, & medicamenta congruentia, pro qualitate cuiusq; morbi apponat; contraria scilicet curando contrarijs; vt nostra Constitutio docet de Superbia; & alijs prauis animæ propensionibus: quod etiam accuratè describit S. Basil: reg: fus: disp: respon: 51. *Inanem* inquit, *gloriam, abiectioribus exercitijs imponendis sanet, futilem & otiosam loquacitatem silentio, immodicum somnum vigiliâ, & exercitijs Orationum, segnitiem corporis laboribus imponendis grauioribus, edacitatem indecoram ieiunio, murmurationem à reliquis segregatione, &c.* Non sufficit enim Superiori exhortari solùm subditum suum delinquentem, id est, addere animum illi vt conualescat, & id quod iubetur exequatur: nec satis est eundem corrigere, id est monere de culpa vt emendetur: sed opus est etiam aliquãdo & reprehendere; id est deformitatem peccati ostendere, adiungendo aliquem modum

asperita-

asperitatis aut minarum, ad excitandum pudorem & confusionem ob admissa, & timorem ne in eadem relabatur. quod proprium est habentium potestatem seu authoritatem in alios. Vnde solus Superior potest reprehendere (sicut & castigare, & medicamenta contraria infirmitati, non per modum tantum consilij, sed & pœnæ apponere) vt colligitur ex S. Tho: 2. 2. q. 33. a. 4. reprehendere enim propriè est punire, vno scilicet modo punitionis. Huc refer illa quæ dicuntur à S. Bern: Serm: de S. Ioanne Baptista & Prospero, lib: 3. de vita contemplat: c. 23. *Nemo Superiorum vitia palpet; nemo dicat: numquid custos fratris mei ego sum: est enim consentire, silere cùm arguere possis: & scimus quia similis pœna manet facientes & consentientes. & in omnibus peccantibus pecco, quando eos quos scio peccásse vel peccare, quadam crudelis animi malignitate non increpo.* Quomodo autem subditi reprehendendi sunt, docet Lud: Ponte, tom: 4. tra: 7. c. 20. Nec terreatur vllis difficultatibus Superior, quæ illi obijci possunt, vt scilicet vel à curatione abstineat, vel non increpet, & amara medicamenta insuper cùm opus est, apponat: sed quod suum est, & quod præter culpam prætermittere non potest, faciat; hæcq; duo secum perpendat: Primùm, se tunc magis diligere infirmum, cùm eum curat, & maiori suauitate vti erga illum, *cùm* vt loquitur S. Greg: lib: 13. mor: c. 13. *Non parcens parcit; quia* inquit, *dum correptionis verbum non*

distulit,

distulit, citiùs hunc à culpa liberauit, liberè enim arguens non pepercit; sed in eo quod correxit pepercit. Secundum, in curatione infirmi non tam illius sensum, quàm salutem prudenti medico exquirendam esse. *Est enim*, vt inquit Cassianus col: 6. c. 6. *sectio vel vstio salutaris, quæ illis qui vlcerũ contagione putrefacti sunt, piè infertur à medicis, quamuis mala à tolerantibus creditur; nec equo calcar, nec emẽdatio suauis est delinquenti.* Sed, vt addit S. Greg: lib: 7. epist: 110. futurum, vt illi ipsi cui amara fuit ad tempus aliqua prohibitio, postmodũ ex ipsa vtilitate animi dulcescat, si vnde inimicus superare potuit, ipse superetur.

Decimò & vltimò, Superior Religiosus, vt habeat magnum zelum disciplinæ, & obseruationis legum religiosarum requiritur: quam rem fusè declarat Negronius in comment: super Regulas Societatis fol: 60. & 65. Ad disciplinam autem conseruandam, necessarius est non solùm zelus, qui rigorem dicit; sed & compassio, quæ misericordiam denotat, alias si vna sine altera teneatur, disciplina destruetur, vt ait S. Greg: 3. p. past: c. 6. Sunt istæ duæ sorores, filiæ vnius matris. Et Charitas vera quam Superior debet habere, vtrumq; Spiritum & rigoris & mansuetudinis complectitur; *Sæuit* inquit S. Aug: tra: 7. in ep: Ioannis; *& charitas, sæuit & amor; sed more columbino sæuit: Columba fel non habet, tamen rostro & pennis pro nido pugnat*: Homines tamen mansuetudinem tantùm

appellant charitatem, quia in ea magis elucet amor, & non solùm talis re ipsa est, sed & apparet: rigor autem quamuis etiam sit charitas, tamen talis non apparet. Sit ergo in Superiore & misericordia iustè consolans, & zelus aduersus peccata piè sæuiens. Misceri debet vinum & oleum, Luc: 10. vt vulnera curentur. nisi timorem filialem & metum, amori in gubernando admoueris, non magna de fælici prudentiq; gubernatione sperare possis. Amari in imperio, magnum est, & nonnisi indulgentiam amor comitatur. & licet sit amori veneratio, nisi tamen altera à timore veneratio accedat, obsequendi promptitudo labascet. Concludo consilio S. Basilij Orat: de renunc: qui volenti assequi perfectionem, seuerum Superiorem deligendum esse persuadet.

His præmissis ad id quod initio quæsitum est, respondeo.

Teneri Superiorem in nostra Religione, curam habere ac aduigilare, vt illi qui sub ipsius regimine sunt, semper quærant perfectionem, & proficiant. Clarum quidem hoc est ex his, quæ in hoc capite præmissa sunt, nihilominus adferam aliqua, ex libris legum instituti nostri, Ordinationum ac Instructionum, quæ expressè hanc assertionem probant. Inprimis igitur inuenio in reg: Prouincialis 2. c. 1. Finem officij ipsius esse, Prouinciæ sibi comissæ subditos, in acquirenda perfectione iuxta proprij in-

ſtituti rationem, & regulas ipſi datas promoue-re. & c. 15. num: 12. iubetur idem aduertere, *vtrum aliqui prætextu valetudinis curandæ, à ſpiritu perfectionis non degenerent.* In reg: etiam prima Rectoris, in ratione ſtudiorum habetur, præcipuam illius eſſe curam, *vt noſtri in virtutibus & ſtudijs proficiant.* In reg: verò 1. præpoſiti: *omni ſtudio enitatur, vt talis ſit, qualis optatur in noſtris Conſtitutionibus, atq; eò magis, quod illis præſit, quos viros ſpirituales & perfectionis ſtudioſos eſſe oportet.* Vnde etiam illud punctum in reddenda ratione conſcientiæ ſuperiori additur vt aperiat *quem animum ad perfectionem conſequendam experiatur.* Et in 6. p. Conſtit: c. 1. §. 2. dicitur, commendatum eſſe debere omnibus ſubditis, *vt nihil ex externis vel internis Superiores ſuos celent; quin potiùs, vt omnia prorſus intelligant, quò melius in via ſalutis & perfectionis dirigantur, optare debent.* In Inſtructione autem pro omnibus Superioribus, excitantur ijdem ad officij ſui curam, hoc eſt, vt ſubditos ad perfectionem quærendam promoueant. Ibidem etiam cap: 2. dicitur executionem ſolam, deſiderari in Superioribus; nam ſi attenderent, & regulas obſeruari curarent, vix aliquid in ſtudio perfectionis, religioſaq; diſciplina deſideraretur. & in 3. cap: num: 8. præſcribitur Superiori, vt vnumquemq; ſubditum interroget, de cauſis ſuarum diſtractionum in oratione, occaſioneſque fortiter ac intrepidè tollat; gratum ſiquidem id illi eſſe debet, qui ardens pro-

positum ad perfectionem tendendi habet, vt obices omnes ac impedimenta quæ cursum hunc retardabant submoueant. Capite verò 5. num: 3. monentur ijdem curare, vt subditi reuera Spirituales sint, procedantq; cum omni sinceritate & desiderio perfectionis. Deniq; in Industrijs, c. 2. num: 1. habetur, Superiorem, *eos qui voluntarium sese sacrificium Deo obtulerunt per mortificationis & abnegationis studium ad plenitudinem perfectionis dirigere, & vrgere* debere: & n. 4. Spectare eum debere multa, *in subditis ad perfectionem promouendis; personam videlicet, corpus & animæ opportunitates: subditi verò Superiorum & studium zelum perfectionis, religiosæq; disciplinæ perpetuo promouendæ, rigoris & asperitatis nomine non appellet, multa enim illis sunt neganda, si eorum perfectionem impediant.*

Dices primò. Cùm Superior Religiosus, vt paternè gubernet, & non rigidè, possit & debeat aliquando, in Regula aut lege Religionis dispensare cum subditis, quando id licitè & legittimè faciet? Respondeo, tunc quando constabit illi, idq; ex certo ac explorato iudicio, non verò ex solo arbitrio & sensu eiusdem, talem esse mentem, vt in tali casu dispensetur, eius qui condidit illam legem: & quando hoc cedit ad maiorem gloriam Dei, vel in maius bonum, & vtilitatem Religionis, & ipsius subditi, cum quo dispensatur: aliàs dissipabit legem Superior, & tali laxitate plurimùm damni afferet subdi-

ret ſubdito ac Religioni, ac proinde peccabit.

Dices ſecundò. Cùm longiſſimè debeat abeſſe à Religioſa gubernatione, politica gubernatio; vnde Superior inueſtigabit, ſe politicè gubernare, ſeu politico ſenſu, gubernationem ſuam dirigere. Reſpondeo ex varijs capitibus: nam vario modo hæc res fieri poteſt. Politicè enim regit, qui in gubernatione proprio ingenio & arbitrio ſe regit: & ex eodem, non attendendo ad ea quæ paulò ante diximus, diſpēſat cum ſubditis in regulis, &c. Item, qui humanis reſpectibus, ducitur in gubernando. Præterea, cùm priuata commoda ac fines, non diuinam gloriam & ſubditorum perfectionem ſpectat: cùm v. g. informationes de illis dat, non ſinceras, ſed aut bonas ob priuatas amicitias aut neceſſitudines: vel malas, ob odia, iniurias & inimicitias. Deniq; cùm hoc ſolùm curat, & exigit à ſubditis vt in externis actionibus illorum, nihil inordinatum aut indecens conſpiciatur; nulla verò interim in re, eorum virtutem exercet, nihilq; imponit, quod eorum imbecillitati & infirmitati grauius & acerbius accidere poſſit. Ita Pater Claudius noſter Generalis in ſua epiſtola de fælici progreſſu Societatis.

Ex dictis in hoc toto capite colligitur, ac neceſſariò ſequitur. Primò: Subditos omnes in locis, debere Superioribus ſuis eſſe ſubiectos, & curationem illorum circa animam libenter

admittere, reprehensiones ac medicamenta oblata, etiam amara, suscipere: alias enim & Deum offendent (*qui enim potestati resistit, Deo resistit,* vt vidimus ex Apost.) & perfectam sanitatem animæ, ac perfectionem nunquam acquirent, & deniq; periculo se exponent, ne quia regi à Deo per Superiores detrectant, & ordinem ab eo præscriptum sequi nolunt, priuentur specialibus diuinis auxilijs, & protectione illius; quæ omnia à beneuola ipsius prouidentia promanant. Sciant tamen subditi, imò & Superiores, medicinam, quæ aliquo tempore videri potest amara, postea sæpè ex ipsa animi vtilitate, modò perpendatur, dulcescere.

Secundò: Malè agere illos subditos, qui nolunt à Superiore cognosci, & defectus suos illis non manifestant, aut cùm in illorum aliunde notitiam Superiores venerint, eos excusationibus occultant. quibus difficile erit, vt alia mala prætercam, quæ huiusmodi tenebrionibus sese superinfundunt, in nostra religione perseuerare.

3. Malè similiter facere illos, qui non solum medicam Superioris manum refugiunt, vel ægrè admodum illam tolerant, vt vidimus; sed cùm etiam curati & correcti fuerint, voluntariè in imperfectionibus perseuerant. Graui enim tristitia Superiores affici necesse est, cùm labores suos, in corrigendo, docendo, exhortando, exhaustos pessundari, & religiosam disciplinam con-

nam con-

nam conculcari animaduertunt, & coguntur quodammodo, à subditorum correctione desistere: etsi hoc sine magno ipsorum detrimento & periculo futurum non ignorent, vt bene in instruct: cit: cap: 2. num: 3. ostenditur. Maximum profectò malum est, atq; omninò exitium, pestisq; omnis bene ordinatæ communitatis, cùm Superior delinquentem non corrigit, nec obiurgat, eò quòd delinquens ægrè ferat, recalcitret, nec vllam emendationis spem ostēdat. Indicatur hoc *Isai*: *26.* dicit enim ibi Dominus: *Misereamur impio, non discet facere iustitiam*; id est ex compassione, non moneamus impium, ne delinquat; non enim operabitur bene, quia ex licentia & libertate agendi, peior euadet. quæ verba Isaiæ expendens S. Bernard: Ser: 42. in Cant: sic ait: *Super omnem iram Dei est, ista miserabilitas*; *& præses tunc*, inquit, *cùm subditus correctus, volens non se emendat, nec spes est emendationis, relinquere debet correctionem, id enim Charitas suadet.* Idem docet Theophil: in c. 8. Marci: quod probat exemplo Christi ibidem; qui postquam increpuit Pharisæos: *Generatio mala & adultera signum quærit*; videns illos incorrigibiles esse, reliquit, vt testatur Euang. Cessandum enim est à correctione, vbi non est spes correctionis, & fructus ex correctione. Deniq; D. Bonau: c. 7. de 6. alis, vbi docet, in tali casu posse, & debere Superiorem dissimulare cum subdito, & ad patientiam confugere. Sic etiam idem Chri-

ſtus Dominus tolerauit Iudam: quam rem fuſè S. Chryſoſt: proſequitur. *Hûc*, inquit, *pertinet, quod dicitur de zizania & tritico: Sinite vtraq; creſcere, Matth: 13. & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc, Apoc: vltimo.* Quanquam enim huiuſmodi monendi ſunt generatim, vt reſipiſcant, ſicut monuit Iudam Dominus, cùm dixit: Væ homini illi, *Matth: 26.* omniſq; peccandi occaſio eis eſt præcidenda: opportunius tamen tanto malo remedium adhiberi non poteſt, quàm ſi tollerentur, & Oratione feruenti iuuentur.

Quartò: in omnibus, & ſemper circa curã animæ noſtræ, Superioribus obediendum eſt, vbi peccatum non cernitur, etiamſi paſſione moti, vel malo animo nobis aliquid imponerent: quod cùm difficilè ſit cognoſcere, difficilè erit & ſine peccato, hoc pacto Superiorem iudicare. S. Bern: tr: de præceptis & diſpen: docet, tanquam Deo obediendum eſſe Superioribus, in ijs quæ non ſunt contra Deum. Affirmat hoc & S. Clemens Papa 1. ep: 1. ad omnes Epiſcopos, Presbyteros, & Clericos, ſic ſcribens: *Veſtrum*, inquit, *eſt, quia legatione Domini fungimini, docere populos, eorum verò eſt, vobis obedire vt Deo.* Multò igitur magis hoc conuenit ſubditis Religioſis. Idem repetit inferius, & concludit: Nihil eſſe iniuſtius vel inhoneſtius, quam filios patribus inobedientes, vel proteruos exiſtere. Et S. Baſil: in Conſtit: Monaſt: c. 23. *Nihil eſt aliud antiſtes, quam is qui perſonam Chriſti ſuſtinet, &*

ſequeſter

ſequeſter inter Deum & homines, ac proinde audiendus. Cap: verò 28. docet, Religioſum, nec ad vnum momentum, ſuiipſius poteſtatem habere ad faciendum, quod pro ſuo arbitrio velit; ac proinde ſemper obedire debere Superiori vt Chriſto. Nec immeritò dicunt hoc iſti & alij SS. Patres, nam id colligitur ex S. Scriptura, & patet ex ijs quæ diximus hîc num: 5. apertè verò, ex illo Apoſtoli ad Epheſ. 6. *Serui obedite Dominis, cum timore & tremore, ſicut Chriſto*; vbi S. Chryſoſt: hom: 22. ſic ait: *Et hoc nomine non vilitas, ſed magna nobilitas eſt, obedire homini, ſi quidem in eo obeditur Deo, & ſeruitur ei, cui ſeruire regnare eſt.* Ad hanc autem obedientiam ſpectat, ne ſubditus curioſè ſtatuta & iuſſa Superiorum examinet, & rationem exigat mandatorum; ſed ſicut ouis in ſimplicitate, paſtorem ſuum ſequatur. Quod ni fiat, ſciendum eſt ſolere aliquando Deum affligere ſubditos immiſſis tribulationibus, eò quòd ſint ceruicis durioris; quam rem fuſè Ludou: Ponte, l. c. tr: 1. c. 13. n. 3. proſequitur, & patet ex dictis num: 5.

Quintò. Non debet ſubditus amaro animo eſſe erga Superiorem reprehendentem. Docet hoc præclarè S. Ephrem de virtute, & cauſam reddit: *Ne erga corripientem Patrem ſpiritualem, amarulentior fias, ſi nimirum vas electionis euadere cupis.* Legimus *Marci 8.* Chriſtum Dominum obiurgâſſe Apoſtolos, eò quòd non intellexerint admonitionem illius, qua iubebantur cauere à

fermento Pharisæorum, cùm reuera fermentum non significet doctrinam: & tamen patienter tulerunt id Apostoli, nec commoti sunt contra Christum. Sed & alia causa est, non minoris momenti, quæ consideranda est subditis, Superiorem scilicet, cùm eos corripit, facere quod debet, & quòd sine culpa præterire non potest: ac proinde inuitè contristare subditum. Deniq; tertia, Superiorem cùm corrigit subditum, tunc magis ei parcere: *In eo*, inquit S. Greg: lib: 13. mor: c. 13. *quod correxit, pepercit.* Cauendum autem tunc subditis, ne Superiores suos iudicent, non ex Charitate id facere: vnde enim hoc illis constabit? an inde fortassis quia durior est correctio, & sentitur? Sed in curando infirmo, non sensus ipsius quærendus est, sed salus: & sectio in carne, & vstio, vt ait Cassian: coll: 6. c. 6. piè à medico infertur, si putrefacta indigeant, nec propterea medicus malus censetur. Verùm quamuis constaret; quis tamen subditum fecit iudicem sui Superioris? certè subditus obiurgari & acriter potest, & expedit illi aliquando eo modo obiurgari, vt timeat: deniq; quamuis Superior debeat in corrigendo non præse ferre stomachum, & animi perturbationem, sed commiserationem, seu Charitatis affectum: tamen non propterea subditus excusabitur à peccato, si ægrè ferat huiusmodi correctionem, vel obloquatur, & se non emendet. Quid verò tunc faciendum sit subdito, cùm

obiurgatur à Superiore, & quomodo audire increpātem debeat, optimè Nigron: 1. Reg: 22. fol: 459. n. 5. explicat. Non certè contentiosè verbum verbo reddendum est.

Sextò. Non debet subditus Superiorem suum reprehendere, vt patet. ex dictis, & bene docetur à Nigronio, 1. Reg: 31. fol: 622. n. 12.

Septimò: multominùs obloquendum est Superiori: quod bene probat Aluar: tom: 2. fol: 1902. Præclara est de hac re sententia, Nicolai primi Pontif: in ep: ad Michaëlem Imperatorem: *Facta, inquit, Prælatorum, non ferienda oris gladio, quia hoc scelus est.*


Octauò & nonò, amandi sunt Superiores & honorandi: quia vt ait S. Tho: 2. 2. q. 102. a. 1. ad 2. sunt principium gubernationis subditorum, sicut pater principium generationis filiorum.


Hæc autem omnia, si præstiterimus, sine dubio non solùm magnos progressus in studio perfectionis faciemus; sed etiam ipsam perfectionem consequemur, & deniq; efficiemus, vt Superiores nostri, onus tam magnum, quod nostri causa suscipiunt, non gementes portent, sed exultantes, ad laudem & honorem IESV Christi Domini nostri, & Imperatoris, cuius seruituti nos totos mancipauimus, & sub cuius vexillo in hac Religione militamus.











9.

